Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Mathurin Cordier

Maturini Corderi Colloquiorum Scholasticorum Libri Quinque : Cum Argumentis Et Appendice

A priorum Editionum mendis innumeris, quibus ubertim scatebant, nunc demum purgati, & accuratius editi, Rostochii: Schwiegerovius, 1720

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815316895

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815316895/phys_0001
DFG

Vorl. Nr. lib 4, 1576

Universitäts-Bibliothek Rostock

Hb-3639

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn815316895/phys_0002
DFG

MATURINI CORDERI

COLLOQVIORUM SCHOLASTICORUM

LIBRI QVINQVE,

CUM ARGUMENTIS ET APPENDICE,

A priorum Editionum mendis innumeris, quibus ubertim scatebant, nunc demum purgâti, & accuratiùs editi.

ROSTOCHII,
Typis & Impensis, NICOLAI SCHWIEGEROVII, ANNO 1720.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815316895/phys_0003
DFG

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

1936 g. 4732

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn815316895/phys_0004
DFG

CANDIDO LECTORI
TYPOGRAPHUS. S.

ENtibi, Candide Lector, Maturini Corderi Colloquia, ad latinæ linguæ usum pueris præsertim conscripta. Edita sunt hæc proximis annis passim locorum in Germaniâ ordine & studiis diversis: Quo vero Typographorum plerumque animo, & quanto cum incommodo ac remorâ discentium, ego non dixerim, judicent alii. Si tamen tacendum non est quod verum comperi: Sic profectò corruptè, sic fœdè pleraque in lucem prodiêre, ut non tàm fœtum, quàm abortum, atque adeo monstrum typographicæ artis laudatissimæ horribilissimum dixeris; visu formidabile: Lectu mirum, ridiculum, putidissimum, auditu horridum; mente amentissimum. Dolendum scilicet est, quod cum primæ ætatis studia lucellulo sic postponuntur, eorum hic ratio prorsus habeatur nulla. Pueritiæ in serviendi cura typographis prior esse debuerat, lucri, quod honestè suo loco etiam boni appetunt, posterior. At verò alterum ex his, si à pleonectica quadam curâ, susque deque ferente, pro quo quid habeatur, postponatur alteri, omniaque sint ad exhauriendum premendumque alios comparata; mirum profectò non est, si tot cum literarum me-

tatheſes, cum vocum enallagæ, tot verò etiam pleonaſmi & ellipſes, mendorum ſcilicet myriades imò plauſtra aliquot, in opuſcula hujusmodi alioquin elegantiſſima invehantur. Utinam verò hæc tàm impunè in miſeram juventutem delinquendi protervia tandem à Magiſtratu coërceatur, & ſuis illi privilegiis, ſi quæ habent, priventur, qui pueritiæ cum damno tàm libenter iis abutuntur. Sed quid queror? queror enim multis de cauſis fortaſſis fruſtrà. Rectiùs fecero, ſi paucis te de hac editione doceam. Eam quod attinet, Lector benivole, & ſi vino vendibili hederâ non eſt opus, affirmare tamen auſim, tantam à me diligentiam hic eſſe adhibitam, quò quàm correctiſſima prodiret, ut plane nullus dubitem, quin, ſi cum aliis contuleris, maximè ſis eam probaturus. Errata certè, quæ antea ſatis craſſa infinitis in locis invecta fuerant (de leviculis enim, typographica ſphalmata quæ vocamus, non dico) craſſa, inquam, illa ſuſtuli, & aliàs quoque, uti me certa ſpes fovet, elegantiſſimum hoc opuſculum nitori ſuo reſtitui. Officium hoc meum & operam, quam Colloquiis iſtis edendis ſic ſatis operoſam impendi, ſi ſint, qui probent, eſt profectò quod gaudeam; ſi ſint, qui improbent, ignorare nolo, Lector candide, potiorem mihi eſſe rectè ſtudii conſcientiam, quam in proborum obtrectationes & calumnias. Illâ ſubnixus has non modò facilè negligere, ſed nihil quoque penſi habere didici. Vale, Anno 1610. Cal. Jul.

MA-

MATURINI CORDERI ADMONITIONES DE SUIS COLLOQUIIS VERSIBUS SCRIPTÆ.

Quomodo legenda sint à pueris hæc Colloquia.

AD verbum non sunt hæc ediscenda: sed horum
Perfacilè ediscès plurima, sæpe legens:
Quæ post succurrant nullo quæsita labore:
Si tamen attentè singula verba notes;
Nam citrà studium leviter quæcunque leguntur,
Rarius in pueri pectore fixa manent:
Quod cum paribus junctis hæc ipsa revolves:
Major erit fructus, gratia major erit.
Per te ipsum poteris magnam cognoscere partem:
Præceptor faciet cætera plana tibi.

Excusanda esse in Colloquiis Scholasticis eadem sæpè repetita.

NIl mirare, eadem pueros iterare, frequenter
Usu etiam doctis ista venire solent.
Complures hic sunt iisdem doctoribus usi:
Unde fit, ut tales sæpè loquantur idem.

Ficta non esse Nomina puerorum, qui in sequentibus Colloquiis loquentes introducuntur.

Nomina ne credas puerorum hic ficta loquentum:
Discipuli, ex magnâ parte fuêre mei.
Horum quisquis adhuc vitali vescitur aurâ.
Si legat hic nomen, commeminisse potest.

In

COLLOQUIA CORDERI EPIGRAMMA.

NATHANIS CHYTRÆI.

Quid vitâ bene moratum sermone Latinum,
Quid puerum faciat linguâ animoque pium:
Prudentem quid deceat doceatque Magistrum,
Melliflua liber hic cum gravitate monet.
Qui si acri studio sæpe evolvetur, utriusque
Non labor hic expers utilitatis erit.

COL-

COLLOQUIORUM SCHOLASTICORUM

LIBER PRIMUS.

In quo & mutuæ salutationes, & colloquia puerorum, tàm inter se, quam cum præceptoribus atque aliis quam brevissima & simplicissima continentur. Quamvis posteriora, de rudimentis & primis studiorum initiis agentia, aliquantò sint prolixiora.

COLLOQUIUM I.

Mutuæ solutiones, & de valetudine percunctationes.

DAVID. PRÆCEPTOR.

PAter meus tibi salutem plurimam dicit. P. Ain tu? quando rure rediit? D. heri. P. ut valet? D. optimè. P. Mater verò ubi est? D. adhuc in Misniâ. P. ubi in Misniâ? D. Lipsiæ. P. de illâ quid auditis? D. esse bonâ valetudine præditam DEI beneficio. P. Dominus DEUS conservet eam. D. ita precor. P. dic vicissim patri salutem plurimam verbis meis. D. faciam sedulo.

II.

Admonitio de civilitate morum.

HULDERICUS. PETRONIUS.

HEus tu, Præceptor adest. P. Quid tum? H. Respice ad illum. P. Quamobrem? H. ut ei caput aperias & venientem salutes. P. ita decet facere, sed aliud cogitabam. H. tace.

III.

Præceptor ad prandium invitatur, excusationem mittit.

STANISLAUS. MAGISTER.

PRæceptor, pater te invitat ad prandium, si tibi placet. M. estne solus? S. Solus, opinor, præter domesticos. M. excusa me illi, jam enim aliundè invitatus eram: Age tamen illi meis verbis gratias. S. Nunquid vis aliud? M. nihil, nisi ut maturè ad scholam redeas. S. maturè, juvante DEO.

IV.

Observator de minutis rebus interrogans, tentat deprehendere puerum quendam in mendacio.

OBSERVATOR. PUER.

QUid agis? P. scribo. O. quid scribis? P. sententias. O. quas? P. ex novo Testamento. O. benè facis, unde habuisti? P. Hypodidascalus dictavit nobis. O. quando? P. heri. O. quotâ horâ? P. meridie. O. ubi? P. in areâ. O qui aderant? P. omnes domestici, præter primos & secundos. O. ubi erant illi? P. in aulâ communi. O. quid agebant? P. disputabant. O. vale, & perge scribere.

V.

Præceptor docens evocatur ex auditorio.

ANDREAS. PRÆCEPTOR.
DISCIPULI.

PRæceptor. P. hem quid est? A. sunt quidam, qui te conventum volunt. P. ubi sunt? A. te ex-

exspectant in vico. P. nunc adibo. A. atqui urgent. P. præcurre tu, & eos intromitte in aream, ego te sequar. Vos interim exspectate cum silentio; mox ego adero, ut vos ad cœnam dimittam. D. ô quam bonum verbum.

VI.

Gerardus à fratre foras accersitus à Levino evocatur.

LEVINUS. GERARDUS.

HEus Gerarde! G. quid vis? L. accerseris. G. quis me vocat? L. frater tuus. G. ubi est? L. præ foribus te exspectat. G. certò scis, esse fratrem meum? L. quidni sciam? vidi illum & sum alloqvutus. G. viso sanè, quis sit.

VII.

Quidam prodire volentes objurgantur, acrejiciuntur in posterum diem.

ALBERTUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, licetne nobis ire ad tonsorem? P. quid eo? A. ut capillum tondeamus. P. libenter quotidiè exiretis sexies; quin exspectatis in crastinum diem, ut eatis unà cum ceteris? A. atqui propter forum turba erit in tonstrinâ. P. quid tum? satis habebitis otii ad exspectandum. Recipite vos ad studium. A. ut libet Præceptor.

VIII.

Exemplum diligentiæ, in agendis rebus.

AUGUSTINUS. OBSERVATOR Domesticus.

LIcetne ire cubitum, condiscipuli? Observ. cur ante horam? Aug. quia est tertia mihi sur-

surgendum. Observ. quamobrem? Aug. Scribendi causâ. O. quid scripturus est? A. literas ad patrem. O. cur non petis à præceptore veniam? A. benè mones: estnè in museolo? O. puto esse; vise.

IX.

Exordium repetitionis.

ANTONIUS. CHRISTIANUS.

VIsnè mecum repetere prælectionem? Christ. volo. Ant. tenesnè? Christ. non satis rectè. Fortasse. Ant. age faciamus periculum. Christ. quid igitur exspectamus? Ant. ubi voles, incipe. Christ. atqui tuum est potius incipere. Ant. quid ita? Christ. quia me invitasti. Ant. æquum dicis, attende igitur. Christ. istic sum.

X.

Breve de jentaculo colloquium.

ALBERTUS. BASILIUS.

VIs jentare mecum? B. non habeo jentaculum. A. quid? non attulisti? B. domi jentaveram. A. itanè semper facis? B. minimè; sed quia benè manè surrexeram, sic matri placuit me tractare. A. prosit tibi; ego igitur solus jentabo. B. & ego interim studebo.

XI.

Interrogatiuncula de profectione ad locum, & reditu ex loco.

ISRAEL. MATTHÆUS.

ESTne domi frater tuus? M. cur istud rogas? I. pater meus volebat eum convenire. M. non est in hac urbe. I. ubi igitur? M. peregrè profectus

fectus est. I. quando? M. nudius tertius. I. quònam ivit? M. Lubecam. I. quâ iter facturus est? M. Wismariâ. I. utrum pedes an eques ivit? M. ivit eques. I. quando est rediturus? M. nescio. I. sed quem terminum constituit illi pater? M. jussit, ut hic adesset ad vicesimum hujus mensis diem. I. ducat illum DEus, ac reducat. M. Ita precor.

XII.

Brevis confabulatio, sed doctrina plena.

Vir bonus ac prudens occasionem docendi capit è re minimâ.

PUBLIUS. BONIFACIUS.

UNde veniebas modò? B. è culinâ. L. quid illuc iveras? B. ut me calefacerem. P. tu, credo, libentius es in culinâ, quam in scholâ; nonne? B. nihil mirum; in schola non est ignis, sicut in culina. P. abi, sapis. B. utinam tam saperem in divinis rebus, quam in cura corporis. P. fac sapias. B. quomodo? P. studio, curâ, labore, diligentiâ. B. non parco labori: P. rectè facis: sed est tempus exspectandum, cujus progressu fiunt omnia, interea rogandus est Deus assiduè. B. bene mones; utinam ille studia nostra promoveat in gloriam sui nominis. P. id faciet, si pergamus eum colere diligenter.

XIII.

Iturus ad patrem in cauponam petit veniam.

BARTHOLOMÆUS. PRÆCEPTOR.

Præ-

PRæceptor, accersor à patre. P. ubi is est? B. in diversorio. P. quando venit? B. advenit modo. P. quis tibi tàm citò nunciavit? B. misit ad me famulum. P. ubi est? B. præforibus me exspectat. B. cur illum non intromisisti? B. noluit intrare. P. quid ita? B. quia, ut ait, festinatione urgetur. P. voca illum, ut paucis conveniam, deinde abi; sed cura, ut quamprimum huc adsis, B. eo vocatum.

XIV.

Iturus ad sartorem petit veniam.

JONATHAN. PRÆCEPTOR.

PRæceptor licetnè prodire? P. quò prodire cupis? J. ad sartorem. P. quid eò? J. petitum femoralia. P. Jamne facta sunt? J. sunt opinor. P. rectè (opinor) dicis, quia res est incerta. J. atqui promiserat mihi in hunc diem. P. quid si fallat? J. nihil mirum fecerit. P. nunc quoque verè locutus es? nam rarò ad promissum tempus fidem præstant artifices. J. viso tamen præceptor, si mihi permittis. P. nihil impedio. J. nunquid vis, Præceptor? P. imò, ut properes? & interfis prælectioni. J. benè mones, abeo.

XV.

Empturus cultellos admonetur, ut sibi imposì caveat. DEus cultores suos juvat.

HIE-

HIERONYMUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, licetne prodire? P. quamobrem? H. ut emam cultellos mensarios. P. ubi sunt, quos habebas? H. reliqui domi. P. habesne pecuniam ad emendos alios? H. mater dedit mihi. P. quis erit tibi adjutor ad emendum? H. Gerardus. P. ite sanè, & cavete, ne vobis imponatur. H. cavebimus, DEO juvante. P. omnes quidem juvat, sed potissimum eos, qui ad ejus honorem omnia referunt.

XVI.

Fratribus omnia sint communia.

PRÆCEPTOR. MICHAEL.

CUr non venisti citius? M. exspectabam fratrem. P. ubi est? M. restitit in foro. P. cur eum non adduxisti? M. volebat emere atramentum. P. imò, pyra, mala, aut aliquid è ceteris fructibus. M. nescio, tamen illud dicebat. P. quum sitis fratres, cur non habetis domi commune atramentum in ampullâ? M. frater nihil vult habere commune mecum. P. vult igitur omnia sibi propria? M. illud est. P. admone me, quum venerit, ego illum docebo, quid sit fraternitas. M. faciam, Præceptor. P. abi in locum tuum.

XVII.

Longâ insinuatione petitur mutuò in futurum pecunia, ea statim promittitur.

Exemplum astutiæ item animi prompti ad benè merendum.

MAU-

MAURITIUS. BARTHOLOMÆUS.

ABiitnè pater tuus? B. Abiit. M. Quotâ horâ? B. Primâ pomeridiana. M. Quid dixit tibi? B. Multis verbis monuit me, ut diligenter ſtuderem. M. Utinam ſic facias. B. Faciam, DEO juvante. M. Ecquid pecuniæ dedit tibi? B. Dedit, ut ferè ſolet. M. Quantum? C. Nihil ad te. M. Fateor; ſed tamen quid facies iſta pecunia? B. Emam chartam, & alia, quæ mihi ſunt uſui. M. Quid ſi amiſeris? B. Æquo animo ferendum erit. M. Quid ſi fortè eguero, dabisnè mutuò? B. Dabo, & quidem libenter. M. Habeo tibi gratiam.

XVIII.

De abſentia patris in loco peſtili.

Ex magnis vitæ periculis aliquoties liberatus certiorem de præſentiâ DEI, ſuorum cuſtodiis, animo concipit fiduciam.

ATTICUS. BRUTUS.

UBi nunc eſt pater tuus? B. puto eum eſſe Lipſiæ. A. Quid illic agit? B. negociatur. A. ex quo tempore? B. ab ipſo initio mercatus. A. valdè miror, qui audeat illic commorari tot dies, quum peſtilentia tanta ſit per totam urbem. B. non eſt adeò mirandum. A. itanè videtur? B. ita profectò. Fuit enim aliàs in majore periculo, ſed Dominus DEUS ſemper eum cuſtodivit. A. credo equidem, & adhuc cuſtodiet. Sed quando eſt reverſurus? B. neſcio, in horas exſpectamus, A. reducat illum Deus. B. ita precor.

Pueri

XIX.

Pueri revocantur à lusu.

NOMENCLATOR. Quidam PUER ex turba. Item Alius.

HEus pueri, heus heus! Q. quid clamitas? N. desistendum est à lusu. Q. ehò ineptè, nondum quarta exacta est. N. imo ferè semihora post quartam. A. cur non dedisti signum? N. quia tintinnabuli funis fractus est. A. clama iterum, sed attolle vocem. N. Heus pueri, recipite vos omnes, festinate, festinate, inquam, urget Præceptor. Q. Desine clamare, accurrunt omnes.

XX.

Interrogatiunculæ de acceptis literis.

CORNELIUS. MARCIALIS.

QUid legis? M. Literas. C. à quo? M. à patre. C. quando accepisti? M. heri vesperi. C. quis attulit? M. nescio. C. nescis, quis tibi retulit eas? M. ancilla quædam à caupone. C. unde sunt datæ? M. Lubeca, credo. C. quo die? M. nondum licuit inspicere. C. nempe ego te interpellavi. M. parùm refert: non adeò sum occupatus. C. agè perlege tuam epistolam; ego interea studebo. M. ego quoque mox idem faciam.

XXI.

Christophorus fratrem ægrotum domum deducere à præceptore jubetur.

PRÆ-

PRÆCEPTOR. CHRISTOPHORUS.

HEus Chriſtophore. C. hem Præceptor. P. quid flet frater tuus? C. ægrotat. P. qui ſcis? C. ſatis apparet. P. quo ſigno? C. quia vomuit. P. quid illi dolet? C. caput & ſtomachus, ut dicit. P. cur non recipit ſe domum? C. non auſus eſt. P. tu verò non audebas me admonere? Agedum duc illum tu ipſe domum usq;, & matri diligenter narra, ut ille ſe habeat; propera, quid ceſſas? duc eum lento gradu. C. ducam Præceptor.

XXII.

Excuſatio abſentis è ſchola.

CANNIUS. DECIUS.

CUr non venit Petrus in ſcholam? D. eſt occupatus. C. in quo negotio? D. in ligno ſtruendo. C. qui ſcis? D. dictum eſt mihi. C. à quo. D. à patre ejus. C. ubi eum vidiſti? D fuit mihi obvius, quum venirem. C. vide, ne mentiaris; nam ex illo quæram, ſi forte occurrat mihi per viços. D. reperies ſic, ut dico.

XXIII.

De exercitio ſcribendi.

EUSEBIUS. FRIDERICUS.

CUr non ſcribis? E. jam ſcripſi meam paginam, tu verò? E. eo ſcriptum in area. F. quid ita? E. quia ſerenum eſt cœlum. F. feſtina, tempus abit; & mox exigetur ratio.

XXIV.

Repetitur commodatum, dilationem petit commodatarius eamque impetrat.

Cur

CUr non reddis mihi librum? G. Exspecta in crastinum diem; nondum satis usus sum. C. Libenter exspectabo. G. referam tibi gratiam, Deo volente. C. pro tantillo beneficio nullam exspecto gratiam. G. tamen est meum, agnoscere.

XXV.

De quodam rus profecto cum patre.

NOMENCLATOR. PUER.

UBi est Petrus? P. ivit foras. N. Quò? P. abiit rus. N. Qui cum. P. Cum patre. N. Quis venerat accersitum? P. Patris famulus. N. quando est in urbem rediturus? P. Hinc, ut dixit, ad octavum diem. N. A quo petivit abeundi veniam? P. Ab hypodidascalo. N. Cur non potius à ludimagistro? P. Ad negotia prodierat. N. Sat habeo.

XXVI.

Vestis mutatio commoda.

PHILEMO. AMBROSIUS.

UNde affers istam tuniculam? A. Domo. P. Quid vis facere? A. Volo induere. P. Nunc non est mutandi tempus. A. Quando igitur? P. Cras manè, quum surgis è lecto. A. Benè mones: exspectabo.

XXVII.

Theca scriptoria, cingulum.

RICHARDUS. NEHEMIAS.

QUò ascendis? N. in cubiculum nostrum. R.

Quid eò? N. petitum thecam scriptoriam. R. adfer mihi cingulum eâdem opera. N. ubi est? R. super arcam meam. N. adferam: sed tu me hic exspecta. R. nusquam moveo.

XXIIX.

Redditur commodatum cum excusatione dilationis. Non debemus offendi, nisi ubi DEus offenditur.

CORNELIUS. FONTANUS.

SAtisne usus es scalpello meo? F. satis C. redde igitur. F. accipe, ago tibi gratias. C. nihil est, quod agas. F. sed ignosce, quòd non ultrò & citiùs reddiderim. C. ea de re nihil sum offensus, non enim debemus offendi, nisi cùm DEum offendi videmus. F. rectè sentis.

XXIX.

Admonitio brevis, sed pueris aptissima.

THEOPHILUS. MARTINUS.

NOn decet hic otiari, aut garrire, dum Præceptor exspectatur? M. quid ais, non decet? imò verò non licet: nisi volumus vapulare. T. tu igitur audi me, dum prælectionem pronuncio: ego deinde te audiam. M. age pronuncia.

XXX.

Scalpellum commodato petitur, datur: sed additâ conditione. Commodatarius non debet abuti commodato.

MICHAEL. RENATUS.

HAbesne scalpellum? R. habeo. M. oro te, commoda mihi parumper. R. quando reddes? M. Quamprimùm duas pennas exacuero. R. accipe, sed

sed ea lege, ut integrum reddas. M. eâ conditione acceptum intelligo, etiamsi non addidisses. R. intelligenti, ut vulgò dicitur, pauca sufficiunt.

XXXI.

Ob negotium lusus prætermissus. Exemplum diligentiæ.

VINCENTIUS. BONIFACIUS.

CUr hodie non lusisti nobiscum? B. non erat mihi ludendi spatium. V. quid habebas negotii? B. non absolveram pensum meum. V. quod pensum? B dimidium exemplaris restabat mihi perscribendum. V. perfeciſtine? B. perfeci. V. laudo tuam diligentiam, ludes alias otiosè. B. quum voluerit DEUS. V. rectè dicis, nam absque voluntate ejus fieri nihil potest.

XXXII.

Officium promittitur amici absentis nomine.

FELICIANUS. CONSTANTIUS.

QUando rediturus est Blasius? C. non certò scio, fortasse die crastino: sed cur istud rogas? F. Quia secum abstulit catalogum: & Præceptor irascetur, si nemo sit, qui recitet. C. Relinque mihi istam curam, habeo catalogi exemplum. F. Recitabis igitur? C. Recitabo. F. benè facies: & noster Blasius referet gratiam, si qua se offeret occasio.

XXXIII.

Othomannus à Philiberto pennam commodatò petitam accipit.

OTTOMANNUS. PHILIBERTUS.

VIsne mihi dare unicam pecuniam? P. non sic dantur mihi. O. hem, rem tantillam mihi negas, quid si magnum quid rogarem? P. Fortasse repulsam ferres. O. Credo equidem: age, non pero dono: saltem commodabis. P. non recuso, modò ne abutare. O. Nonabutar. P. Cave, hinc pedem moveas. O. nusquam moveo.

XXXIV.

De Præparatione Pennæ.

MATERNUS. BERNHARDUS.

ACuistine pennam meam? B. Jamdudum. M. Quâ forma scripturæ? B. Mediocri. M. Maluissem ad minutas literas. B. Debuisti prædicere. M. Oblitus eram B. Parum refert, mucronem facile mutabo: i petium. M. Sed ubi reliquisti? B. Super mensam hypocausti. M. in qua parte? B. Ubi studere soleo.

XXXV.

Anastasius à negotio reversus, Præceptori, ut moris erat, se sistit.

ANASTASIUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, tuo permissu hora prima prodieram, nunc redeo. P. Curasti negotium tuum? A. Curavi, gratia DEO. P. Factum benè, quota est hora? A. Instat secunda. P. Voca mihi famulum: deinde ito ad merendam cum cæteris.

XXXVI.

Exemplum oblivionis.

TIBURTIUS. BONIFACIUS.

Scin

SCin, tu, quota sit hora? B. non certum scio: sed video, instare cœnæ tempus. T. Me miserum; oblitus sum adire matrem, quæ jusserat. B. Curre, curre: oportune venies ut cœnes domi. T. Recte mones: eo rogatum veniam? B. Ecum hypodidascalum. T. Optimè adest.

XXXVII.

Duo de emptione pirorum vetitâ confabulantur.

ALBERTUS. BARTOLDUS.

UNde venis? B. à foro. A. Quis te illuc miserat? B. Mater. A. Quid egisti in foro? B Emi pira. A. Nescis, nobis vetitum esse emere fructus aliquos? B. Quis illud ignoret? nam dictum est palàm in aulâ. A. Qui igitur ausus es emere pira? B. Mater dederat mihi sextantem, ut mihi emerem merendam. Quid mali feci, si parui matri?

XXXVIII.

Queritur Præceptor de famuli absentiâ.

PRÆCEPTOR. REMIGIUS.

UBi est Martinus? R. ivit ad forum. P. quid eò? R. emptum, ut dixit, cingulum. P. Injussu meo exire non debuit; sed hoc nihil ad te. Quis dabit vobis merendam? R. dixit se hora secunda reversurum, ut det nobis. P. quid si fallat? R. non est moris ejus. P. nisi ad horam adfuerit, admone uxorem de vestra merenda. Habet enim clavem alteram cellæ penuariæ.

XXXIX.

Excusat se quidam, quod inconsulto Præceptore prodierit, cujus rei testes producit.

DAVID. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, placetne audire excusationem meam? P. quando abfuisti? D. hesterno die. P. quotâ horâ? D. primâ. P. quæ fuit causa? D. accersitus fui. P. à quo? D. à patre. P. quis tibi nunciavit? D. famulus noster. P. cur me non adiisti? D. quia dicebat ille, se urgeri festinatione. P. sunt-ne tibi testes? D. adsunt Præceptor. P. abi, sede in loco tuo, ego interim eos interrogabo.

XL.

Exordium ad repetendam prælectionem.

STEPHANUS. GEORGIUS.

QUid agis? G. repeto mecum. S. quid repetis? G. præscriptum hodiernum præceptoris. S. Tenesne memoriâ? G. Sic opinor. S. Repetamus unà; sic uterque nostrum rectius pronunciabit coràm præceptore. G. tu igitur incipe, qui me provocasti. S. age, attentus esto, ne me sinas aberrare. G. sum promptior ad audiendum, quàm tu ad pronunciandum.

XLI.

Exordium est ad colloquium. Qui bene agit, reprehendi non timet. Prudenter igitur faciet, qui præceptum illud usurpat: Sic age, ne timeas.

CASIMIRUS. SAMUEL.

JAmne tenes, quæ reddenda sunt hora tertia? S. teneo. C. ego quoque. S. ergò confabulemur paulisper. C. sed si intervenerit observator, putabis nos garrire. S. quid times, ubi nihil timendum est? si venerit, non deprehendet nos in otio aut re

re malâ: audiat, si velit, nostrum colloquium. C. optime loqueris, secedamus aliquo in angulum, ne quis nos impediat.

XLII.

Liber commodatò petitur, isque impetratur, sed ab alio repetendus Beneficio non abutendum.

GRATIANUS. FORTUNATUS.

VIsne mihi commodare tuum Terentium? F. Volo equidem, modò illum repetas à Conrado, cui utendum dedi. G. Quo signo vis repetam? F. nempe hoc, quòd ejus habeo epistolas. G. Id mihi satis est. F. Sed quando reddes? G. Quum descripsero contextum, in tres aut quatuor prælectiones. F. Matura igitur, ne meo studio incommodes. G. maturabo. F. sed heus tu, cave macules: alioqui ægrè commodabo posthac. G. nempe indignus essem beneficio.

XLIII.

Quidam occupatus in merendâ, monetur instare prælectionis tempus. Sic pueros studiosos mutua decet admonitio.

RICHARDUS. AMBROSIUS.

AUdistine horologium? A dudum sonuit. R. dinumerasti horas? A. dinumeravi. R. quota est? A. fere sesquiprima. R. instat igitur prælectionis tempus: fac, ut paratus sis. A. ubi merendam peredero, ecce me paratum. R. cur meridie non adfuisti nobiscum. A. prodieram cum bonâ veniâ Præceptoris R. sed interim sum tibi impedimento. A. nihil impedis, ne bolum quidem perdidi interpellatione tuâ. R. bene habet, perge, sed matura.

XLIV.

Cultellus datur commodatò, sed ægrè.

BARTHOLDUS. NATHAN.

COmmoda mihi parumper cultellum tuum. N. semper aliquid commodare petis, accipe: quin tu emis potiùs? B. Non habeo pecuniam. N. Cur non petis? B. unde peterem? N. A patre B. non est in hac urbe. N. ubi igitur? B. peregrè profectus est. N. Quo? B. Bremam. N. Quo die? B. Nudius tertius. N. Quando est reversurus? B. Cras, ut speramus, sic enim dixit proficiscens. N. Benè vertat DEus.

XLV.

Ludovicus Sebastianum ad repetendam prælectionem invitat. Exemplum diligentiæ in studio puerili.

LUDOVICUS. SEBASTIANUS.

FEcistinè officium tuum? S. qua in re? L. in repetenda prælectione. S. nihil adhuc repetivi. L. Quid causæ fuit? S. Exspectabam, dum rediret compar meus. L. Quò ille ivit? S. Domum L. Quid eò? S. petitum merendam. L. Quid, si redibit serius? S. Nescio, fieri potest. L. Vis interca mecum repetere? S. Equidem non recuso. L. Secedamus igitur, ne quis molestus sit nobis? S. Profectò benè mones: nemo studere potest in tanto ambulatorum strepitu & clamore. L. Aspice illic locum remotissimum, ubi nulli sunt ambulantes. S. Eamus illuc.

XLVI.

Caspar habens pecuniam, Paulo pauxillum petenti denegat, spem tamen dat imposterum.

PAU-

PAULUS. CASPAR.

DA mihi duos asses mutuò. C. Nunc mihi non est promptum dare. P. Quid obstat? nam scio te his diebus accepisse pecuniam. C. Accepi quidem, sed emendi sunt libri, & alia mihi necessaria. P. nolo tuum commodum remorari. C. Ubi emero, quæ mihi sunt opus, si quid superfit, faciam te libenter participem. P. Interea igitur sperans exspectabo: sed quid si nihil tibi superfuerit? C. statim dicam tibi: ne frustra diutiùs exspectes. P. Quando emes ea, quæ decreviſti? C. Cras, ut spero, aut ad summum, perendie. P. Benè habet, tempus est breviſſimum.

XLVII.

David à Nicolào quinque asses mutuò petit, solùm duos obtinet.

DAVID. NICOLAUS.

POtesnè mihi mutuò dare aliquantum pecuniæ. N. quantum petis? D. quinque asses, si tibi est commodum. N. non tot habeo. D. quot igitur? N. tantum quatuor. D. benè sanè, da mihi istos quatuor. N. dabo, si vis, dimidium. D. cur non totum? N. quia sunt mihi opus duo. D. da igitur duos, quæso. N. sed tibi non sufficient. D. petam ab aliquo alio. N. accipe igitur hos duos, quando reddes? D. die, ut spero, Sabbati, quum pater ad forum venerit. N. esto igitur memor. D. ne timeas.

XLVIII.

Quidam puer studere mavult, quàm ludere. Exemplum in pueris rarissimum.

PÆDAGOGUS. PUER.

UNde venis? P. venio infernè. P. quod erat negotium tibi infra. P. iveram redditum urinam. P. sede nunc admensam, & mane in cubiculo, donec rediero. P. quid agam interea? R. edisce prælectionem in diem crastinum, ut eam mihi reddas ante cœnam. P. jam edidici Præceptor. P. lude igitur. P. sed nullos habeo collusores. P. satis multos invenies in hâc vicinià, ex tuis etiam condiscipulis. P. id nihil curo: nunc malim, si tibi placet, edisсere de Catechismo in diem dominicum. P. ut lubet. P. si quis de te quæret, quid illi dicam. P. dic me prodiisse, sed mox reversurum.

XLIX.

Ab amico petitur aliquid operæ: promittitur per opportunitatem Exemplum amici officiosi.

TITUS. VALERIUS.

CUr non scribis? V. quia non libet. T. atqui Præceptor jusserat. V. scio, sed est mihi aliquid legendum priùs. præterea nihil habeo, quod nunc scribam. T. O si velles mihi scribere. V. quidnam? T. habeo describenda dictata Præceptoris. V. quæ dictata? T. in Ciceronis epistolas. V. libenter describam tibi, sed exspecta feriarum diem proximum. T. exspectabo igitur; sed ne fallas, quæso. V. nec sciens nec volens fallam.

L.

Repetitiones adhibito socio sunt utiliores.

AMBROSIUS. BASILIUS.

EAmus unà repetitum. B. quid ego repeterem? Nonne

Nonne satis est, quòd solus repetiverim. A. si tantum semel aut bis repetieris, id parum est ad ediscendum. B. imò circiter decies repetivi. A. ne quidem id sufficit. B. quid igitur vis amplius? A. si vis certissimè reddere coram Præceptore, opus est cum aliquo repetivisse. B. istud ego nesciebam, sed tibi libenter assentior. A. faciamus ergo, quod ego te monebam. B. equidem non recuso; incipe.

LI.

Duo fratres, ituri domum, monentur à Præceptore de testimonio adferendo, aut teste adducendo.

BURCHARDUS. PRÆCEPTOR.

LIcetne mihi exire unà cum Fratre? P. quid causæ est? B. ut mater emat mihi calceos: deinde ut tonsorem adeamus. P. quid eò? B. resectum capillos. P. quid nunc opus est? B. ut cras, si DOMINUS permiserit, invisamus patruum. P. ite, & maturè redite ad studium. Sed heus pueri; adferte mihi à matre testimonium in crastinum diem, aut testem adducite. B. DEO juvante, id curabo diligenter. Num quid vis Præceptor? P. ut meis verbis matrem officiosè salutetis.

LII.

Admonitus ludimagister, de classe doctore vacuâ statim providet.

MARTINUS Famulus. PRÆCEPTOR.

Præ-

PRæceptor, nemo est, qui doceat, in quarta classe. P. Quid hoc rei est? ubi est Magister Philippus? M. Morbo detinetur in lectò. P. Qui scis? M. Nunciavit quidam ex discipulis ejus domesticis. P. Dic hypodidascalo meo. N. Non est in musæolo suo. P. Qui scis? M. Nam ego ter aut quater pulsavi ostiolum. P. Dic primæ classis doctori, ut mittat è suis aliquem. M. Quid si nolit mittere? P. Abi inepte: an putas, eum esse tam impudentem, ut recuset? abi, propera.

LIII.

Medardus Hermannum percunctatur de rebus ad illum pertinentibus.

MEDARDUS. HERMANNUS.

QUo in statu sunt res vestræ Livonienses? H. nescio, jam pridem nihil habemus. M. Nihilne scripsit frater tuus? H. Post menses duos nihil literarum misit, quod viderit pater, M. Fortasse ægrotat? H. Minimè verò, nam tabellarius sæpe nobis salutem nunciat verbis ejus. M. Libenter audio, illum rectè valere. Valde eum diligo: quia fuit mihi suavissimus condiscipulus. H. Ille, ut opinor, te vicissim diligit. M. id verò mihi non est dubium. Sed nos hora vocat: eamus in auditorium. H. maturemus, jam recitatur catalogus.

LIV.

Otto Quirino de patris adventu gratulatur. Temporis habenda ratio.

OTTO. QVIRINUS.

Quid

QUid ita lætus es? Q. quia venit pater. O. A in tu? unde venit? Q. Lipsia. O. Quando advenit? Q. modo. O. Jamne salutasti? Q. salutavi, cùm ex equo descenderet. O. Quid amplius illi fecisti? Q. Calcaria detraxi & ocreas. O. miror, te non mansisse domi, propter ejus adventum. Q. Nec ille permisisset, nec ego vellem, præsertim nunc, cum audienda est prælectio. O. bene tibi consulis, qui temporis rationem habeas. Sed quid pater, valetne? Q. rectè, Dei beneficio. O. equidem gaudeo plurimum, tua & ejus causa, quòd salvus peregrè redierit. Q. Facis, ut amicum decet. Sed cras pluribus verbis colloquemur; vide Præceptorem, qui jam ingreditur auditorium. O. Eamus auditum prælectionem.

LV.

Panis mutuò dandus appenditur.

CORNELIUS. SIMO.

REstatnè tibi multum panis? S. satis, gratia DEO. C. visne mihi dare mutuo? S. libenter. C. sed fortasse tibi non sufficiet. S. imò, ut spero. C. ad quod usque tempus? S. ad diem Veneris. C. unde habebis postea? S. Domo. C. quis afferet? S. egomet ibo petitum. C. quando? S. ipso die Veneris. C. da mihi mutuò sesquilibram. S. quis appendet? C. Uxor præceptoris aut ancilla. S. eamus petitum ex arca mea. S. quin ito solus: ego te in culina exspectabo.

LVI.

Colloquium de impensis victus quotidiani.

FRAN-

FRANCISCUS. GERHARDUS.

UBi hodie cibum cepisti ? G. apud hospitem meum. F. quanti prandisti ? G. sex quadrantibus. F. quid cœna, quanti constitit ? G. tantidem Tu verò quanti aleris quotidie ? F. pluris quàm tu. G. quanti igitur ? F. quatuor assibus.

PRÆFATIUNCULA IN COLLOQUIA SEQUENTIA.

NE pueri nihil agendo discant malè agere, præsertim otio, sermone, pravisque aut ineptis colloquiis sese invicem corrumpentes ; omnibus modis incitandi sunt, ut in schola, dum Præceptoris ingressum exspectant, assuescant interea bini ternive id, quod ab eo præscriptum fuerit, simul repetere. Plurimum proderit hæc illis jucunda exercitatio : eosque interim ob otio, lasciviâ, multisque aliis rebus malis, quibus offenditur Deus, avertere poterit. Sed quia sine puerili colloquio ejusmodi repetitiones tractari non solent ; Pueri autem ipsi, nisi instituti fuerint, nihil aliud quàm barbarè loquuntur ; idcircò, ut Latine inter se loqui paulatim discant, hac de re hic aliquot breves colloquendi formulas proposuimus. Cæterum in Præceptoris diligentia situm erit, ut hæc ipsa colloquia discipulis aliquoties interpretetur : doceatque quomodò in his, & aliis ejus generis (quæ tradere ipse poterit) sese & domi & in schola debeant exercere, ad idque illos identidem cohortetur. Ita fiet,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815316895/phys_0032
DFG

fiet, progressu temporis, ut promptiores semper & alacriores habiturus sit, ad ea maturè reddenda, quæ præscripserit. Hinc etiam consequetur, ut minore cum labore ac molestiâ docendi munus exsequatur.

LVII.

Ejusdem est argumenti cum superiori. Præterea is, qui errat, corrigitur ab altero, & admonetur. Laudatur memoria, & divinum esse donum agnoscitur.

MARCUS. NICOLAUS.

TEnesnè memoriâ prælectionem ? N. Propemodum M. Visne repetamus unà ? N. maximè velim. M. incipe igitur. N. Faciam libenter: sed tu attentè audi, ut me corrigas, si quid erravero. M. agedum. N. *Fac sumptum properè.* M. Jam errasti; incipiendum fuit ab hesterna. N. benè admones: nunc incipiam. *Iratus de re incerta contendere noli. Impedit ira.* M. peccas accentu: itera. N. *Impedit ira animum ne* M. distingue post animum. N. *Impedit ira animum, ne possit cernere verum. Fac sumptum properè cùm res desiderat ipsa. Dandum etenim.* M. iterum peccas accentu repete. N. *Dandum etenim est aliquid, cùm tempus postulat aut res.* M. videsne te erasse quater ? N. observavi. M. sic tibi facilius cavebis. N. me miserum; putabam me rectè tenere. M. sic mihi quoque solet accidere, quoties memoria non est benè confirmata. N. felix, qui memoriam bonam habet. M. magnum Dei beneficium. Sed tempus abit, audi nunc me. N. audio

dio, pronuncia. M. *Iratus de re incerta contendere noli.* C. Hem, Præceptor adest, tace, ut illum salutemus.

LVIII.

Otto & Paulus certant, uter melius pronunciet aliquid eorum, quæ in Schola ediderint. Prætorius Judex.

Exemplum honesti studiosorum certaminis.

OTTO. PAULUS. PRÆTORIUS.

OPtatus mihi ades, Paule. Quærebam, qui mecum certate vellet: sed omnes ad lusus certamen currunt: tu verò quid ais? P. Quid ego malim, quam tecum de nostris studiis pacificè contendere? O Sed quod petis certandi argumentum? an de repetendis Ciceronis epistolis? P. Malo de Catone. O. Quamobrem? Quia restant mihi ediscendæ aliquot prælectiones de Cicerone. Scis enim, me ægrotâsse ferè duas hebdomades. O. Memini, vis igitur dicamus secundum librum moralium distichorum? P. Est longus nimis in hanc horam. O. Quid ita? quia nobis aliquandiu ludendum est, ut corpus exerceamus ad valetudinem conservandam. O. dicamus ergo librum tertium, qui est brevissimus. P. Sed judicem volo. O. Præstò est Prætorius, qui me ob eam rem sequitur. P. Vis igitur? Prætori, audire nos? Præt. Quid dicturi estis? Otto. Tertium librum distichorum moralium Præt. Nonnè alternis dicetis? P. Scilicet suum uterque distichon. Prætor. At pueri (ne erretis) nolo vos audire tanquam Judex. O. Cur non?

Præt.

Præt. Ne forte meâ ſententiâ alteruter amicorum offendatur. P. In quo igitur nobis eris adjutor? Præt. notabo in chartula diligenter utriusque lapſus: deinde referetis ad Præceptorem. P. quid tum fiet? Præt. Ille utri videbitur, victoriam & præmium adjudicabit. O. Eris igitur nobis tantum teſtis. Præt. Sic. O. intelligo. P. Optima ſane videtur mihi ratio. O. Mihi quoque valde probatur. Præt. Sed unum reſtat. B. Quid eſt? Præt. Vultisne præter lapſus manifeſtos, hæſitationes etiam notari? P. Sic volunt Præceptoris leges ſuper hac re. P. Date mihi librum in manum, ut certiùs obſervare poſſim. O. Tene meum. P. Incipiamne? O. Æquum eſt, quia tu à me provocatus es. P. Audi quæſo Prætori, ſed diligenter. Præt. Tu verò cave dicas negligenter.

P. Hoc quicunque cupis carmen cognoſcere lector,
Hæc præcepta feres, quæ ſunt gratiſſima vitæ.
P. Inſtrue præceptis animum, ne diſcere ceſſet.
Nam ſine doctrinâ vita eſt quaſi mortis imago.
P. Commoda multa feres, ſin autem ſpreveris illud
Non me ſcriptorem, ſed te neglexeris ipſe.
P. Cum recte vivas, ne cures verba malorum.
Arbitrii noſtri. &c.

Sic pergunt ad finem usque libri tertii.

LIX.

Robertus & Salomon ante luſum tractant ſtudiorum aliquid.

A luſu ad ſtudium reditur difficiliùs. Exemplum ſtudioſorum.

ROBERTUS. SALOMON.

EUGE, dimissi sumus ad lusum: audistinè? S. Quidni audierim? cùm egomet adfuerim? R. Placetnè paulisper confabulari? deindè ludemus unà. S. Mallem ego prius ludere. R. Atqui difficile est ludum abrumpere. S. Planè verum dicis, & ego in me sic experior. R. Quoniam igitur placet tibi mea ratio, da nobis aliquid argumenti ad confabulandum. S. Immò tuum est dare, ut qui me lacessiveris. R. Æquum dicis: Redde nomina Latinè, quæ tibi Germanicè proponam. S. Quâ de re propones? R. de supellectili. S. Tentabo respondere, modò ne plura quàm decem proponas. R. Enumerabo in digitis, ne fortè numerum excedam, audi igitur. S. Istic sum. R. Ein Zuricht-Tisch. S. Abacus. R. Ein Stuhl. S. Sella. R. Ein Leuchter. S. Candelabrum. R. Ein Kessel. S. Ahenum. R. Ein Blasebalg. S. Follis. R. Ein Küssen. S. Cervical. R. Ein Bettlaken. S. Linteum. R. Ein Topff. S. Olla. R. Eine Weinkanne. S. Oenophorum. R. Errasti semel. S. Ubi? R. Dixisti linteum pro lodice. S. Fateor, debeo tibi semel victoriam. R. Vicissim propone, ut te redimas nunc, si potes. S. Vis respondere de eduliis? R. Libet. S. Frisch Fleisch. R. Caro recens. S. Schweine Fleisch. R. Suilla. S. Wildprät. R. Ferina. S. Schweinswildprät. R. Aprugna. S. Gesotten Milch. R. Lac decoctum. S. Molcken. R. Serum vel serum lactis. S. Frischer Käse. R. Caseus recens. S. Fleisch-Suppe. R. Jus Carnium. S. Gesotten Fisch. R. Piscis elixus.

S. Ein-

S. Eintunckens. R. Condimentum. S. Falleris. R. Quid ergo est? Intinctus. R. Condimentum volo. S. At ego nolo contendere. R. Quis contendit? consulamus. S. Quin priùs ludamus; illud fiet posteriùs, Agè fiat; ne amittamus ludendi occasionem.

LX.

Attingitur differentia inter hortum & hortos.

Rerum nomina tenere non satis est, nisi res ipsas cognoscamus.

TIMOTHEUS. VINCENTIUS.

QUæ sunt arbores in horto vestro? V. Hortum habemus suburbanum, in quo sunt olera, quibus vescimur quotidiè, præterea sunt in fundo nostro uni horti, variis arboribus consiti. T. In horto, quæ sunt olera? V. de hoc mater melius respondere posset: nam illic sæpè versaturi aut serendi causâ, aut sarriendi, aut aliquid colligendi. T. Sed tamen dic mihi aliquot olerum nomina. V. Parùm prodesset nomina tibi recensere, nisi res ipsas videres: quin eamus in rem præsentem. T. Potes ire, quando libet? V. Possum quidem, matre permittente. T. Fac, amabo, permittat, sed ea lege, ut me tibi comitem assumas. T. Facillimè fiet: tantùm hic me exspecta, mox rediero. V. Quid si ea domi non est? T. Tamen hic tibi renunciabo. V. Benè vertat DEus.

LXI.

Nominum secundæ Declinationis repetitio.

Repetitiones confirmandæ memoriæ serviunt.

ADAMUS. BERNHARDUS.

VIsnè repetamus unà? B. Quidni? A. Id quod nobis præscriptum est. B. Equidem volo: sed quo genere repetendi utemur? A. Audiamus nos vicissim. B. Sic Præceptor nos monet sæpe. A. Rectè monet; sed malè paremus. B. Uter incipiet? A. Ego, si tibi ita placet. B. Maximè placet: incipe igitur. A. Secundæ declinationis nomina his exemplis Latinè declinantur: Magister, Puer, Dominus, Lanius, Antonius, Regnum. B. Quæ sunt hodie declinanda? A. Hesternum quidem est Lanius, hodiernum verò Antonius. B. Cur nos id repetimus quotidiè, quod pridiè reddidimus? A. Quia sic Præceptor jubet. B. Id satis scio, sed cur jubet? A. Ad confirmandam memoriam. B. Age, declina Lanius. A. N. S. Hic lanius. G. Hujus lanii, &c. *usque ad finem.* B. Verte Germanicè. A. Lanius, lanii, g. m. ein Schlachter. B. Declina Antonius. A. N. S. Hic Antonius, G. Hujus Antonii, D. Huic Antonio &c. *ad finem usque.* B. Verte Germanice. A. Antonius; Antonii, g. m. est nomen viri. Es ist ein Mannes Nahme / auf Deutsch: Antonius. B. Cur dicis nomen viri? tu nondum es vir. A. Fateor, sed sunt alii Antonii, qui viri sunt. B. Utinam aliquando vir evadas. A. Evadam, DEO juvante. B. Attende nunc: ut vicissim me audias. A. Istic sum, dic audacter. B. Secundæ declinationis nomina. A. Desine, Præceptor adest. B. Audio tussientem, desinamus: ne putet nos garrire.

LXII.

Nomi-

Nominum tertiæ Declinationis repetitio: Tempore non est abutendum. Præceptor non est metuendus in re bonâ.

CORNELIUS, DANIEL, DIODORUS.

QUid agis Daniel? instat Præceptoris adventus? D. Scilicet, instat: nondum est semihora post secundam. C. Tamen non debemus interim tempore abuti: repetamus. Dan. Non stabit per me: ego enim sum paratus. C. incipe igitur. Diod. Exspectate parumper, quæso: ego quoque sum vestræ decuriæ. C. Matura. Dan. Dicamus suum quisque casum ordine, ut interdum nos docet Præceptor. C. Satis est verborum: attendite. Diod. Quid aliud agimus? C. Tertiæ declinationis nomina his exemplis latinè declinantur: Pater, lumen, rupes, messis, pars, sedile, vectigal, laquear. Dan. N. S. Hæc rupes. Diod. G. Hujus rupis. C. D. huic rupi. Dan. Hanc rupem. Diod. N. ô rupes. C. Abl. ab hâc rupe. Dan. N. Pl. Hæ rupes. Diod. Harum rupum. C. Errasti Diodore: corrige erratum. Dan. Harum rupium. C. D. His rupibus. D. has rupes. Diod. V. ô rupes. C. Abl. ab his rupibus. Dan. Verte Germanicè. Diod. Rupes, rupis g. f. Ein Fels. C. Pone in oratione. Dan. non est in libro nostro. C. Sed Præceptor docuit. D. alta rupes. Ein hoher Fels. C. More patrio dicis aspira fortiter. Hoher. Dan. Ein hoher Fels. Diod. N. S. Hæc messis. C. G. Hujus messis. Dan. D. Huic messi, &c. *Usque ad finem hujus nominis: deinde pergunt colloqui.* C. Ambo Errastis. D. Erravi fa-

teor. Diod. Ego quoque: sed uter erit victus? C. Præceptor judicabit. Dan. Æquum dicis. C. Vultis-ne dicamus iterum, ad memoriam confirmandam? D. Quidni? Diod. Quid si præceptor interveniat? C. Quid tùm? laudabit nos ore pleno. Diod. Sed mutandus est ordo. Dan. Non est dubium. Incipe Daniel.

LXIII.

Adjectivi tertiæ Declinationis repetitio.

EUDOXUS. FRIDERICUS.

VIsnè repetere mecum? F. Cur tàm citò? E. Ne observator nos deprehendat garrientes aut otiosos. F. Age repetamus, sed uter incipiet? E. Ego, quia victor sum. F. Dic igitur. E. prudens nomen adjectivum sic declinatur in genera? Hic prudens, g. m. hæc prudens, g. f. hoc prudens, g. n. Idem nomen sic declinatur in casus. N. S. Hic & hæc & hoc prudens. F. G. Hujus prudentis. E. D. Huic prudenti. F. A. Hunc & hanc prudentem & hoc prudens, &c. *Ad finem usque.*

LXIV.

Nominum tertiæ & quartæ declinationis repetitio.

Repetitiones sæpius iterandæ.

GERHARDUS. HENRICUS.

MOx aderit Præceptor, repetamus. H. Quid opus est mihi repetitione? Solus repetivi satis: omnia teneo memoria. G. Quid tùm? quantò sæpiùs repetes, tantò melius tenebis. H. Benè mones. Habeo tibi gratiam. G. Incipe, tempus abit. P. Quartæ declinat. G. Erras, Henrice? incipiendum est ab exemplo hesterno. H. Erravi fateor

fateor. G. Dic igitur nunc recte. H. N. S. Hoc sedile. G. Hujus sedilis, &c. *Ad finem usque.*

Quartæ Declinationis nomina, hoc exemplo declinantur.

N. S. Hic sensus. G. Hujus sensus. D. Huic sensui. G. Hactenus: audio Præceptorem.

LXV.

Verbi Secundæ Conjugationis repetitio.

Lusibus statuendis est modus: Studia jucunde conferenda.

ISAACUS. LUCIUS. MICHAEL.

HIc dies nobis est feriatus: & jam satis lusimus. L. Satis opinor. I. Vultis ergò, ut animi gratiâ conferamus de studiis nostris? L. Sanè mihi gratum feceris. M. Mihi verò gratissimum. L. Sed quid tractabimus? I. Tentemus declinare aliquod verbum Latinè simul & Germanicè. M. Incipe igitur; quia nos provocasti. I. Faciam, quando ita placet vobis. L. Audiamus.

I. Indicativi modi præsens tempus: Doceo, ich unterweise/ doces, du unterweisest/ docet, er unterweiset. Plural. Docemus, wir unterweisen/ docetis, ihr unterweiset/ docent, sie unterweisen.

L. Præteritum Imperfectum. Singulariter: Docebam, ich unterweisete/ docebas, du unterweisetest/ docebat, er unterweisete. Pluraliter: docebamus, wir unterweiseten/ docebatis, ihr unterweisetet/ docebant, sie unterweiseten.

M. Præteritum perfectum, Singulariter: Docui, ich habe unterweiset/ docuisti, du hast unterweiset/ docuit, er hat unterweiset. Pluraliter: docui-

cuimus, wir haben unterweiſet/docuiſtis, ihr habt unterweiſet / docuerunt vel docuere, ſie haben unterweiſet

2. Præteritum plusquamperfectum, ſingulariter: Docueram, ich hatte unterweiſet / docueras, du hatteſt unterweiſet/ docuerat, er hatte unterweiſet. &c. Sic pergunt quatenus placet.

LXVI.

Verbi tertiæ Conjugationis repetitio.

Studiorum collatio comis eſſe debet, nec auſtera. Gratulandum aliis, ſi officium rectè faciunt, ſed laus debetur ſoli DEO.

NICASIUS. OLIVARIUS.

CUr tu es otioſus? O. Non ſum omninò. N. Quid agis igitur? O. Cogito de lectione reddenda. M. Ego quoque id ago: repetamus unà. O. Fiat: ſed quam rationem tenebimus? N. Age Præceptoris partes, ego diſcipuli. O Valdè mihi placet conditio. N. Sed ne ſis auſterior. O. Ne timeas: nôſti me ſatis. N. Novi. O. Conjuga Lego in modo infinitivo.

N. Infinitivi modi, tempus præſens & præteritum imperfectum, legere; præteritum perfectum & plusquamperfectum, legiſſe. O. Perge. N. Sine me pauliſper reſpirare quæſo, Præceptor. O. Perge nunc. N. Futurum infinitum, lecturum eſſe. Gerundia, legendi, &c. *ad finem usque.* O. Gaudeo te rectè feciſſe officium. N. Ego verò mihi gratulor: ſed eſt DEO gratia. O. Rectè dicis, utinam ex animo! N. Ex animo certè. O. Benè habet, deſinamus, ſentio Præceptoris adventum. N. Eccum adeſt.

LXVII.

Verbi quartæ Conjugationis repetitio.

Utilitas publica omnibus modis procuranda.

PATRITIUS, RUDOLPHUS, STEPHANUS, THOMAS, VALERIUS.

HEus pueri, nos hic sumus quinque: repetamus hodiernum verbum, ut solemus coram Præceptore. R. Nemo, ut opinor, contradicet. S. Quis contradiceret? nostra omnium res agitur. T. Incipe igitur Patriti, quia primus sedes. P. Optativi & subjunctivi modi præsens tempus. S. Audiam. R. Audias. S. Audiat. T. Pl. Audiamus. V. Audiatis. P. Audiant. R. Præteritum imperfectum. S. Audirem. T. Audires. V. Audiret. P. Pl. Audiremus. R. Audiretis. S. Audirent. T. Præteritum perfectum. V. Audiverim. P. Audiveris. R. Audiverit. S. Pl. Audiverimus, &c. *Usque ad finem verbi pergunt ordine.*

LXVIII.

Andreas cujusdam orationis partes & accidentia audit ex Beato.

ANDREAS. BEATUS.

DIc Latinè: Lasset uns unsere Lection zusamen repetiren. B. Repetamus unà perlectionem A. Hæc oratio quot habet partes? B. Tres. A. Discerne singulas nominatim. B. Repetamus, est Verbum: unà Adverbium: prælectionem, Nomen. A. Declara paulo plenius. L. Tu igitur præito mihi, ut solet Præceptor. A. Repetamus. B. repeto, repetis, repetere, conjugationis tertiæ, sicut Lego, legis, legere. Præteritum repetivi

Supinum repetitum. Participia, repetens, & repetiturus. A. Unà. B. non declinatur, quia est Adverbium, hoc in loco: Zusammen. A. Prælectionem. B. prælectio, prælectionis. g. f. eine Lection.

LXIX.

Duo pueri diligenter repetunt, quæ sunt in auditorio reddituri.

Exemplum diligentiæ in pueris, pro captu ætatulæ. Utinam ætate & doctrinâ provecti hoc imitarentur exemplum.

CRISPUS DESIDERIUS.

REpetamus nomina quotidiana, ut certiùs reddamus ea Præceptori. D. Benè mones, præito mihi hesterna.

C. Dic Latinè Ein Auge / D. Oculus.
C. Das rechte Auge / D. Oculus dexter.
C. Das lincke Auge / D. Oculus sinister.
C. Beyde Augen / D. Ambo oculi.
C. Probe tenes.

D. Nunc audi, an rectè solus dicam. C. Agè, audio. D. Ein Auge. C. Debes enumerare in digitis, ut docet Præceptor. D. quid prodest istud? C. Ad memoriam juvandam. D. Quid hoc sibi vult? C. Non audisti toties? D. Ego sum oblivioſus? quid agerem? C. Esto diligentior ad ea retinenda, quæ præceperit. D. Quod me fideliter mones, pergratum facis. C. Age, ad rem redi.

D. Ein Auge / Oculus.
Das rechte Auge / Oculus dexter.

Das

Das lincke Auge. Oculus siniſter.
Beyde Augen. Ambo oculi.

C. Quam recte omnia dixiſti! D. Repetamus etiam hodierna. C. Placet: at tu viciſſim præito mihi.

D. Eine Hand/ C. Manus.
D. Die rechte Hand/ C. Manus dextra.
D. Die lincke Hand/ C. Manus ſiniſtra.
D. Alle beyde Hände. C. Ambæ manus
D. Reſtat, ut ſolus dicas.
C. Eine Hand/ Manus.
Die rechte Hand/ Manus dextra,
Die lincke Hand/ Manus ſiniſtra,
Alle beyde Hände/ Ambæ manus.

D. O ſi tàm benè diceremus coram Præceptore! C. Quid obſtat? D. Quia timemus. C. Et tamen errata noſtra ſatis humaniter corrigit. D. Neſcio, quid hoc ſibi velit: ego ſemper ſum timidus in principio. C. Iſtud eſt quodammodo naturale omnibus, ut audivimus ex Præceptore D. Nunc repetendum eſſet Latinè & Germanicè, ſed Præceptorem venientem video. C. ingrediamur.

LXX.

Puer ultro ſalutatum venit Præceptorem, comiter ab illo accipitur, reddit, quæ præſcripta fuerunt. Laudatur à Magiſtro. DEum laudat, munuſculis blandis invitatur.

Exemplum ad parvulos blande & comiter in ſcholam tractandos ne, ſeveritate diſciplinæ abſterreantur.

Eras-

ERASMUS. PRÆCEPTOR.

SAlve Præceptor. P. Salvus sis mi Erasme. Undè venis tàm multò manè? E. e cubiculo nostro P. Quando surrexisti? E. Paulo ante sextam, Præceptor. P. Quid ais? E. Sic est, ut dico. P. Tu nimis es matutinus: quis te expergefecit? E. Frater meus. P. An precatus es DEum? E. Quamprimum frater me pexuit, precatus sum. P. Quomodo? E. Flexis genibus & conjunctis manibus dixi precationem dominicam, cum gratiarum actione. P. Quâ linguâ? E. Germanicâ. P. O factum benè! quis te misit ad me? E. Nemo. P. Mi animule, quàm pulchrum est sapere; Nonnè est jentandi tempus? E. Nondum esurio. P. Quid vis igitur? E. Volo reddere nomina quotidiana, si tibi placet audire me. P. Quidni placeret? tenes igitur memoriâ. E. Teneo gratia Deo. P. Age, pronuncia. E. Sed mihi soles præire Germanice, & ego Latinè respondeo. P. Benè mones: penè istud oblitus eram; responde igitur. E. Exspecto, ut proponas.

P. Das Haupt/ E. Caput,
P. Der Scheitel/ E. Vertex,
P. Das Vorhäupt/ E. Sinciput,
P. Das Hinter-Häupt/ E. Occiput,

P. Nunc responde Germanicè:

P. Caput, E. Das Haupt/
P. Vertex, E. Der Scheitel/
P. Sinciput, E. Das Vorhaupt/

P. Oc-

P. Occiput. E. Das Hinterhäupt.

P. Quidsi nunc solus omnia dicas? E. Facilè dicam. P. Ego verò te libenter audiam.

E. Das Häupt / Caput,
Der Scheitel / Vertex,
Das Vorhäupt / Sinciput,
Das Hinterhäupt / Occiput,

Non-nè bene dixi, Præceptor? P. Optimè. E. Laudetur Dominus Deus. P. O pulchrum verbum. Ito nunc petitum ab ancilla jentaculum. E. malim abs te accipere, Præceptor, si tibi non est molestum. P. O quàm te amo de isto verbo! age, sequere me, dabo tibi aliquid boni: quia tuum rectè feciſti officium. Quid hoc est? E. panis candidus, weiß Brodt. P. Quid hæc sunt? E. Ficus aridæ, gedörrete Feigen. P. Numera. E. Una, duæ, tres, quatuor, quinque, sex. P. O lepidum capitulum, jenta nunc otiosè.

LXXI.

Pueri elementarii extra ordinem ludendi veniam petunt.

FABER, GUILHELMUS & HENRICUS Pueri, PRÆCEPTOR.

SAlve Præceptor. P. Sit vobis salus à Christò. Pueri. Amen. P. jamne repetiviſtis? F. etiam Præceptor. P. Quis docuit vos? F. Subdoctor. P. quid nunc vultis? G. ut per te liceat nobis parumper ludere? P. Non est ludendi tempus. H. Non petimus omnibus, sed nobis parvulis tantum. P. atqui

pluit

pluit, ut videtis. G. Ludemus in pergulâ? P. Quo lusu? Pueri. Aciculis vel juglandibus. P. Quid mihi dabitis? F. Dicemus nomina. P. Quot dicetis singuli? G. Duo. P. Dicite igitur. F. Papier charta. Dinte/ atramentum. Dixi. H. Ein Buch/ liber. Ein Büchlein/ libellus. Dixi. H. Ein Kirsch / cerasum, Welsche Nüsse / juglandes. Diximus. P. Quam belli estis homunculi, ludite ad cœnam usque. Pueri. Gratias agimus, Præceptor.

LXXII.

Magister à discipulo interrogatus respondet humaniter.

Bonus Præceptor benè optat dicipulis, solus Deus dat benè agendi voluntatem. Omnis boni gratia DEO debetur. Regula citra exceptionem vix ulla est. In dubiis Grammatices consulendæ sunt regulæ. Studiosus doctos ad imitandum observare debet. Præclara opera longiori tempore indigent. Experientia. Patrum indoctorum stultitia. Tempus exspectandum. Scientia magnis laboribus comparatur. Exemplum boni præceptoris & discipuli studiosi.

JODOCUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, licetne pauca? P. Loquere, quid velis. Jod. Quum interdum dicis alicui nostrûm, ubi est follis? vel cedò follem? non apparet, utrum follis sit masculini an fœminini generis. P. Non apparet, fateor: quid tum? J. Unde igitur scire possumus? P. Cur me de hoc nunquam rogastis. J. Tàm multa, tam sæpè interrogamus, ut vereamur, ne tibi molesti simus. P.

Quasi

Quasi verò istud unquam præ me feram, contra, eo magis amo vos, quò me rogatis sæpius. Quid enim magis cupio, quàm ut aliquando vos videam & optimos & doctissimos? J. Habemus gratiam maximam, Præceptor humanissime. P. Eam gratiam ego & vos Deo nostro debemus, qui solus, suâ bonitate, utrisque bonam dedit voluntatem. J. Faxit ille, ut hoc beneficio rectè semper utamur, in ipsius gloriam, sed dic quæso, follis cujus est generis? P. Masculini. J. At ego potius Fœminini dixissem. P. Quamobrem? J. Quia tale est pellis, quod est in rudimentis pro exemplo positum. P. Non abs re id conjiciebas, Nam in Is finita, quale est pellis, magnâ ex parte fœminina sunt. J. Non igitur omnia. P. Vix ulla est tàm generalis regula, quæ exceptione careat. Follis igitur sub exceptionem cadit, quia masculinum est. Sic aliquot alia, ut ignis, piscis, axis, &c. J. Sed unde illa dignoscam? P. Facile cognosces, quum perveneris ad Grammaticæ Regulas. Sed interim Latinè loquentes attente observa, teque ad eorum imitationem diligenter accommoda. J. At istud longum est, Præceptor. P. Non fiunt nisi longo tempore præclara ædificia. J. Experientia nos istud docet. At pater meus vellet me annuo spacio doctum videre. P. Ego verò istud unius diei spacio videre vellem. Sed quid agas? omnibus in rebus exspectandum tempus est. Pater tuus quia non didicit literas, nescit, quid doctrina valeat, neque quantis laboribus illa compare-

Paretur. J. Verum dicis: sed quid illi respondere possum? quum apud me conqueritur de temporis longi spatio in discendis literis? P. Docebo te inter cœnandum, nunc ito lusum cum cæteris, ut me in musæum recipiam. I. Ignosce mihi quæso, Præc. quod te interpellaverim. P. nihil me interpellâsti, non enim occupatus eram, præterea si te audire mihi molestum fuisset, nonne poteram te in aliud tempus rejicere? J. tuo jure id poteras. P. Abi igitur.

LXXII.

Pædagogus à puero rationem studii exigit, reddit puer alacriter; Admonetur, ut à mendacio caveat.

Formula ad verborum declinationem pueris breviter indicandam, postquam exempla generalia didicerint.

PÆDAGOGUS. LAMBERTUS.

ESne paratus ad reddendam studii tui rationem? L. Paratus sum, ut mihi videor. P. Redde igitur, & esto præsenti animo. L. Hoc matutino tempore primùm pronunciavimus carmen ex Catone: deinde ejus interpretationem Latinè & Germanicè reddidimus: postremò bini tractavimus singulas partes orationis, cum attributis & significatione. P. rectène feciſti officium tuum? L. puto me satisfeciſſe, Præceptor, magna ex parte. P. Vide ne mentiaris: nam ego illum percontabor. L. Ut voles Præceptor nihil hâc in re metuo. P. Age, pergamus, meridie quid habetis reddere? L. habemus declinare verbum, possum

La-

Latine & Germanicè. P. Nihil præterea ? L. Nihil P. Ego te istud alias docui : Nonne tenes memoriâ ? L. Non ausim affirmare donec tentavero. P. Declina in primas personas; cætera tibi erunt facillima.

L. Indicativus, possum, ich kan / poteram, ich konte / potui, ich habe gekont / potueram, ich hatte gekont / potero, ich werde können / Imperat. deest.

Optativus, utinam possim, ach daß ich könne / utinam possem, ach daß ich könte / utinam potuissem, ach daß ich hätte gekont.

Subjunctivus, ut possim, daß ich könne / ut possem, daß ich könte / quamvis potuerim, wiewol ich hätte gekönt / quamvis potuissem, wiewol ich vorlängst hätte gekönt / quum potuero, wenn ich werde können. P. Declina totum Infinitivum.

L. Infinitivi modi præsens & præteritum imperfectum, posse, können / præteritum perfectum & plusquam perfectum, potuisse, gekont haben / cætera desunt.

P. Cur hoc verbum, possum, caret futuro indefinito, cur item Participio in Rus? L. quia non habet supinum. P. Quid tum? L. Illæ enim voces à supino formari solent. P. Da exemplum in aliquo verbo integro. L. Ut à supino lectum, fit lecturus, & à lecturus fit lecturum esse. P. rectè sanè. Sed cur prætermisisti participium præsens, à verbo possum, quum sit in usu, potens, potentis? L. Quia (ut sæpe nos docuisti) potens non est participium, licet, à possum veniat. P. Quid ergò

gò est? L. Nomen adjectivum. P. Probè meministi: utinam sic pergas semper! L. Spero in dies meliora, per DEI gratiam. P. Ego quoque idem tecum spero. Nunc restat, ut dicas Præteritum. Num probe. L. Potui, potueram, potuerim, potuissem, potuero, potuisse. P. Dic terminationes. L. Ram, rim, sem, ro, se. P. Dic significationem. L. possum, ich kan / posse, können. P. Hactenus; ecce, vocamur ad prandium.

LXXIV.

Discipulus magistrum de dubio quodam consulit. Magister benigne respondet.

Analogiæ non ubique fidendum. Latinitas quibus constet maximè. Ætatis progressus quid requirat. Omnis profectus noster Deo tribuendus. Citra favorem divinum frustrà laboramus. Exemplum anomaliæ in genere & accentu sub eâdem terminatione.

MARCELLUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, licetnè pauca? P. Dic liberè. M. Cur non dicimus, hic Arbor, sicut hic Labor? Item, cur genitivum, Arboris, non proferimus penultimâ longâ, ut ferè in cæteris nominibus terminationis ejusdem? P. Quia loquendi usus aliter approbavit. Nec enim ubique locum habet analogia: sed ubi ea deficit, sequendus est eorum usus, qui rectè & purè locuti sunt. Nam ipsa Latinitas usu & auctoritate magis, quàm ratione constat. M. Da igitur auctoritatem de nomine arbor. P. *Arboris excisæ truncus*, apud Virgilium. Nonnè hic manifestè vides & genus & accentum?

tum? M. Video Præceptor, sed suntnè alia eodem. P. accentu? In primis Græca omnia, ut Castor, Castoris, sic Hector, Nestor; & similia. Item hæc duo neutrius generis, æquor, æquoris, Marmor, marmoris. Sunt & Adjectiva quædam, ut Memor, memoris, & ex eo compositum Immemor. Talia quoque sunt ex decus & corpus composita, ut: indecor, indecoris, Tricorpor, tricorporis. Sed hæc apud Grammaticos annotata facilè per te invenies. Nam ista ætas tua majorem in dies requirit diligentiam. Huc accedit, quod hæc ipsa, quæ tuo labore ac diligentiâ inveneris, firmiore tenebis memoriâ. M. Ago tibi gratias, humanissime Præceptor, quod me humanitate non solùm doces, sed etiam admones. P. Benè facis? sed interim volo memineris, soli DEO acceptum referre, quicquid boni ex labore meo in te proficiscitur. Frustrà enim docendò laboramus, nisi laboribus nostris divinus favor accesserit. Nôsti illud Apostoli: neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui dat incrementum, DEUS. M. Essemus profectò plumbo stupidiores, si ista ignoraremus, quæ nobis tam sæpe inculcas, tamque diligenter. P. Tantò diligentiùs vos oportet tùm meminisse, tùm recordari. Sed jam est tempus, ut ad quotidianum pensum te referas: ego verò intereà me abdo in musæolum.

LXXV.

Pueri, qui in quotidiano sermone ad Latinè loquendum diligenter exercentur, multa discunt sine Regulis Grammaticis.

Bene precandum omnibus: maximè noſtris.

PRÆCEPTOR. NICOMACHUS.

Dic latinè ein Buch. N. Liber. P. Liber cujus generis? N. Maſculini. P. Qui ſcis? N. Ex benè loquendi uſu & conſuetudine. P. Oſtende uſum. N. Nam quotidie loquentes ſic dicimus? hic liber cujus eſt? Dicimus item ſæpe numerò, liber meus, liber tuus, bonus liber, & ſimilia. P. Benè reſpondiſti: ſed quis loquendi uſum te docuit? N. Tu ipſe, Præceptor. P. Ergone tenes omnem uſum linguæ Latinæ? N. Si tenerem, jam non eſſem diſcipulus. P. Quid igitur? N. Magiſter fortaſſe. P. Abi; reſponſo tuo contentus ſum. N. Gaudeo ſanè. P. Age gratias DEO, qui tibi dedit ingenium & mentem bonam. N. Utinam ſemper agnoſcam ejus in me beneficia. P. Utinam ille favore ſuo tua ſtudia proſequatur. Quid hoc ſibi vult Nicomache? N. Quod mihi bene precaris. P. Ergo tu quoq; memento bene ex animo precari omnibus, præcipue vero condiſcipulis tuis. N. Meminero, Præceptor. P. Addendum fuerat, DEO juvante. N. Oblitus ſum, fateor.

LXXVI.

Parvulus puer ludendi copiam ſibi & condiſcipulis impetrat.

Quintil. Nec me offenderit luſus in pueris. Exemplum ad parvulos pueros, &c. ut in colloquio decimo nono.

OBERTUS. PÆDAGOGUS.

PRæceptor, licetne pauca? P. Loquere audacter. O. Ego & condiſcipuli mei hoc fere toto

to triduo libris affixi fuimus, licet-nè paulisper animum ludo relaxare? P. Dic igitur aliquam sententiam.

O Interpone tuis interdum gaudia curis:
Ut possis animo quemvis sufferre laborem.

P. Dic versus Germanicos, si memoria retines.

O. Dein Sorg und Müh mit Freud vermisch:
Die dich zur Arbeit machet frisch.

P. Quàm rectè dixisti omnia! O. Est Deo gratia. P. Addendum post hâc erit aliquid. O. Quidnam Præceptor? P. Qui mihi dedit ingenium & mentem bonam. O. Sed quis docebit me illa verba? P. Ea scribam tibi in commentariolo tuo, ut edisças. Sed dic mihi quæso, quis te docuit istam orationem, quam pronunciâsti? P. Campanus heri mihi dederat scriptam, & ego memoriæ mandavi. P. Profectò ego te amo, mi Oberte, ob istam diligentiam. O. Ago tibi gratias, Præceptor, permittisnè igitur, ut ludamus? P. Sane: Abi, renuncia condiscipulis tuis. O. Faciam. P. Quid dices illis? O. Id quod me docuisti aliquando. P. Sed volo prius ex te audire. O. Gaudete pueri? en affero vobis jucundum nuncium. Ego vobis impetravi ludendi potestatem. P. Euge; probe meminisți, ito nunc jam.

LXXVII.

Exemplum ad pueros in Latinis Germanicè vertendis paulatim exercendos.

PRÆCEPTOR. PETRUS.

ATtende Petre, ut discas Latina benè Germanicè vertere. P. Attendo, Præceptor.

Præc. At diligenter. Pet. Immò diligentiſſimè, & ex animo. Præc. Benè facis. Pet. Propone igitur mihi Latina, ut nobis interdum ſoles. Præc. Quid opus eſt? Pet. Was iſt vonnöhten? Præc. Gallinæ. Pet. Einer Hännen. Præc. Ut. Pet. Daß Præc. Illa. Pet. Sie. Præc. Sit. Pet. Sey. Præc. Bona. Pet. Gut. Præc. Rectè vertiſti. Nunc ad ſingulas partes hujus orationis reſponde nominatim. Pet. Reſpondebo, quoad potero, dummodò mihi præiveris. Præc. Quid. Pet. Eſt pronomen. Præc. Opus. Pet. Nomen. Præc. Eſt. Pet. Verbum. Præc. Gallinæ. Pet. Nomen. Præc. Ut Pet. Conjunctio, hoc in loco. Præc. Illa. Pet. Pronomen. Præc. Sit. Pet. Verbum. Præc. Bona. Pet. Nomen. Præc. Age, dicemus iterum, ut ſingula paulò plenius intelligas. Pet. Quid nunc reſpondebo? Præc. Indica breviter ſingularum partium declinatum: ut vos docere ſoleo. Pet. Præito igitur mihi, ut cœpiſti. Præc. Quid. Pet. Quid, cujus, pronomen ſubſtantivum anomalum. Præc. Opus. Pet. Hoc opus, operis, ut onus, oneris. Præc. Falleris, Petre. Pet. Quid ita? Præc. Quia opus, hic eſt adjectivum. Pet. Eho adjectivum? quomodo declinatur? Præc. Eſt iſtud indeclinabile. Pet. Me miſerum! nunquam audieram. Præc. Addendum fuit, quod ſciam, vel quod meminerim. Pet. Quamobrem? Præc. Quia fortaſſe audieras, ſed memineras malè. Pet. Fieri poteſt. Sed perge, quæſo, me docere. Quid vernaculè ſignificat iſtud nomen? Præc. Non ſolet germanicè ver-

verti, nisi junctum cum Verbo Sum, es. Pet. Da exemplum. Præc. Quotidie in ore habes exempla. P. Nunc mihi non occurrunt. Præc. Nonnè soles dicere, & audire ex condiscipulis: opus est mihi chartâ, atramento, pecunia, & similia; Petr. Sæpè dico, fateor, & sæpe audio: sed parùm adverto. Præc. Nunc igitur adverte & manda memoriæ: Opus est mihi pecuniâ ad libros emendos: Ich habe Geld von nöthen/Bücher zu kauffen. Pet. Da item aliud exemplum, quæso. Præc. Opus est tibi virgis, ut tua expellatur pigritia: Du hast Ruthen vonnöthen/daß dir deine Faulheit ausgetrieben werde. P. Fateor equidem Præceptor: sed DEus, ut spero, mei miserebitur. Præc. Omnium miseretur DEUS, qui piè illum invocant. Sed de nomine, opus, jam satis multa, quod ad vos attinet; ad cætera redeo. Est. Pet. Sum, es, esse, verbum anomalum. Præc. Gallinæ. Pet. Gallina, gallinæ, ut mensa mensæ. P. Ut. Pet. Non declinatur, quia est conjunctio. Germanicè. Auff daß. Præc. Illa. Pet. Ille, generis masculini, illa, feminini, illud, neutrius. Præc. Declina in Fæminino. Pet. Illa, illius, illi, &c. Præc. Sit. Pet. Jam dictum est. Præc. Bona Pet. Bonus, generis masculini: Bona, fœminini: Bonum, neutrius, Nomen Adjectivum. Præc. Confer ad exemplum. Pet. Justus, justa, justum: Bonus, bona, bonum. Præc. Nunc mutuò vos interrogate, ut plenius omnia tractetis.

LIBER SECUNDUS.

QUI EST DE LITERARUM STUDIIS, EOQUE PERTINENTIBUS, ET RELAXATIONIBUS ANIMORUM.

COLLOQUIUM I.

Puer diligentiæ in literis admonitus, frustrà ait se moneri, quòd aliam aliquam artem mallet discere, quàm literas.

Cuique ars discenda est ingenio suo apta.

ADOLPHUS. BEATUS.

MIror egò, quid tibi velis, ut ferè semper es otiosus, aut garris, aut ineptis. B. Quid vis, faciam? A. Ut studeas diligenter. B. Cur me istud mones? A. Pro meo in te amore, tuaque utilitate. B. Frustrà mones. A. Quid ita? B. Quia non est mihi animus in literis. A. Quid ergò velles? B. Discere aliquam artem, aptam ingenio meo. A. Jam nè cogitâsti, quænam ars tibi placeat potissimùm? B. Jam pridem. A. Cur ergò patrem non admones? B. Nunquam ausim. A. Cur non? B. Vereor, ne mihi irascatur. A. Roga Præceptorem, ut illi dicat. B. Im-

Immò te oro, mi Adolphe, dic tu ipse Præceptori meis verbis: nam verecundia me impedit: faciesnè, quod rogo? A. Faciam certè, idque libentissime: Valdè enim tædet me, videre te adeò remissum. B. O quam mihi gratum feceris! A. Sed præceptor te appellabit. B. Quid tùm? oblata occasio me audacem reddet, ad mentem meam liberè aperiendam. A. Rectè judicas. B. Tu igitur fac, quid ille tibi responderit. A. Alioquin essem tibi nuncius inutilis.

II.

Puer infeliciori ingenio docetur, quibus adminiculis ad eruditionem fiat progressus.

Virtutis studium non parùm ad eruditionem adipiscendam confert. Qui virtutis rationem habet, dotibus animi augetur à DEO.

BEATUS. CORVINUS.

VIs-nè permanere in istâ ignorantiâ? C. Avertat DEUS. A. Quid igitur facies? C. Da mihi super hac re consilium, quæsò B. Imprimis Deum sæpissimè & ex animo precare: deinde semper attentus esto, hoc est diligenter audito, quicquid docetur, sive Præceptor loquatur, sive aliquid reddant condiscipuli tui; postremo charitatem diligenter cole. C. Quibus modis? B. neminem neque lædito, neque offendito, nemini invideto, neminem odio habeto: sed contra, omnes dilige, tanquam fratres, ac benè omnibus, quoad poteris, facito. C. Quid illa mihi conferent ad stu-

diorum profectum? B. Plurimum. C. Quomodo? B. Sic enim DEUS tibi illuminabit ingenium, memoriam ac cæteras animi dotes augebit, denique ſtudia tua ita promovebit, ut majores in eâ re progreſſus in dies facias. C. Conſilium mihi ſanè optimum. Utinam in DEI ipſius gloriam uti perpetuò valeam, tibique aliquando referre gratiam. B. Non opto; ut mihi aliquid gratiæ eo more referas, niſi ut DEum ſæpenumero laudes, ſtudiaque honeſta ſemper proſequaris, atque ita ad divinarum literarum cognitionem tandem pervenias.

III.

Hic probi Adoleſcentis admonitio contemnitur ab improbo.

Scientia res inæſtimabilis. Miſericordia. Bona externa perdunt multos. Divitiæ ſunt DEI donum Virtutis & ſcientiæ poſſeſſio. Mens bona.

CORVINUS. DEMETRIUS.

QUando repetes ludum literarium? D. neſcio. C. Cur de hâc re patrem non admones? D. quid putas me curare? C. parum admodum, ut credo. D. Profectò verum dicis. C. ſatis eſt ſigni, te non amare literas. D. Scio legere, ſcribere, Latinè loqui, ſaltem mediocriter: quid opus eſt mihi tantâ ſcientia? ego plura ſcio, quam tres Sacerdotes Papiſtici. D. O miſerum adoleſcentem! Siccine rem contemnis inæſtimabilem? D. Quid tu ſic exclamas? unde tibi videor miſer? C. Amice, nulla tibi à me orta eſt injuria, quod enim tibi dixi, non eſt convicium, ne tu in malam partem

tem accipias, sed misereor tui, quia id contemnis, quod felicitatem parit. D. Ludus, divitiæ, & voluptas, felicitatem pariunt. O. Immò ista multis fuerunt exitio: tametsi divitiæ sunt donum DEI, nec nocent, nisi iis, qui abutuntur, verum enim verò nulla est homini pretiosior possessio, quam virtus, & rerum honestarum cognitio. D. Vis igitur concionari, ut video. C. Utinam divinas conciones audisses diligenter! D. Hem, obtundis me, num quid vis? C. Ut bonam mentem det tibi DEUS. D. Ea fortasse tibi est magis opus, quâm mihi. Vale.

IV.

Patris docti diligentia in filiis domi docendis.

Beneficium DEI agnoscendum ab iis, qui bonos parentes habent. Fratres ex fide in Christum.

DEMETRIUS. ELISÆUS.

QUando rediisti domo? E. Tantum redeo. D. ubi est frater? E. mansit domi. D. cur mansit? E. Ut pranderet cum matre. D. Tu verò cur etiam non mansisti? E. jam pranderam cum patre. D. Quis vobis ministrabat? E. Ancilla, D. Quid mater, ubi erat? E. Etiam domi, sed occupata. D. Quâ in re? E. In recipiendo tritico, quod nobis advectum fuerat. D. Quandò redibis domum? E. Cum accersar à patre. E. Quâ die istud erit? E. Fortasse hinc quatuor dies. D. Cur vos tàm sæpe commeatis? E. Sic volunt Parentes. D. Quid agitis domi? E. Quod jubemur à parentibus. D. Sed interim perit vobis studiorum tempus. E. Non omnino perit. D. Quid igitur

gitur? E. Quoties Pater non est necessariò occupatus, omnibus horis exercet nos, manè, ante & post prandium, ante cœnam, à cœnâ satis diù, postremò etiam, antequam cubitum eamus. D. Quibus rebus vos exercet? E. exigit à nobis ea potissimum, quæ totâ habdomade in Scholâ didicimus: themata nostra inspicit, ac de iis nos interrogat: sæpe dat nobis aliquid modò Latine, modò vernaculè describendum: interdum etiam nobis proponit brevem sententiam vernaculo sermone, quam Latinè vertamus: interdum contra jubet aliquid Latinum vernaculè reddere: postremo ante cibum & post, semper ex Bibliis Germanicis aliquid legimus, idque totâ præsente familiâ. D. Nihilnè de Catechismo interrogat? E. Id facit omni die dominico, nisi fortè domo absit. D. Mira narras, si modò vera. E. Imò sunt longè plura, quàm quæ tibi narravi: sum enim oblitus morum Civilitatem, de quâ etiam admonere nos solet in mensâ. D. Cur Pater vester tantum sumit laborem in vobis docendis? E. Ut sic intelligat, num in scholâ operam ludamus, & tempore abutamur. D. Mira hominis diligentia, atque adeò prudentia, ô quàm devincti estis Patri cœlesti, qui talem patrem in terrâ dedit vobis. E. Faxit ille, ut hoc & cætera ejus beneficia nunquam obliviscamur. D. bonum & pium est istud optatum: cura, ut habeas non modo in ore, sed in animo etiam magis. E. Quòd me tàm fideliter mones, habeo tibi gratiam. D. Benè monendi officium debemus omnibus, sed maxi-

maximè fratribus. E. Fratribusne igitur solis? E. Eos potissimum fratres hic dico, qui ex fide in Christum nobis conjuncti sunt. E. Rectè judicas. Sed viso, num frater domo tandem reverterit: nam ad cessandum promptus est plus satis.

V.

Elisæus & Felix conferunt annos suos. Laudatur docti Pædagogi diligentia: item boni patris prudentia in liberorum instituendorum cura: agnoscitur eâ in re DEI beneficium.

Exemplum Exercitationis in Linguâ Latinâ à teneris annis.

ELISÆUS. FELIX.

QUot annos habes? F. Tredecim, ut à matre accepi. Tu verò? E. Quidem non tot habeo. F. Quot igitur? E. Deest unus. F. Sunt ergo duodecim. E. In promptu est ratio. F. Sed frater tuo quotum agit annum? E. Quintum. F. Quid ais? jam Latinè loquitur. E. Quid miraris? semper habemus domi Pædagogum & doctum & diligentem: semper nos Latine loqui docet, nihil vernaculum effert, nisi aliquid declarandi causâ: quin etiam patrem non audemus, nisi Latine, alloqui. F. Nunquam igitur vernacule loquimini? E. Solum cum matre, idque certâ quâdam horâ, quum illa nos ad se vocari jubet. F. Quid agitis cum familia? E. cum familiâ rarus est nobis sermo, & quidem tantùm in transitu: & tamen famuli ipsi nos Latinè alloqvuntur. F. Quid ancillæ? E. Si quando usus postulat, ut eas alloquamur, utimur sermone vernaculo, ut solemus cum ipsâ matre. F. O vos felices, qui tam

tàm diligenter docemini! E. Est Deo gratia, cujus dono Patrem habemus, qui curet nos tàm accuratè erudiendos. F. Certò ejus rei laus & honor unicè cœlesti patri debetur. E. Sed quid agimus? jam audio recitari catalogos. F. Ergò festinemus.

VI.

Liber eleganter compactus ostentatur.

Reprehenditur stulta quæstio: excusatur, quasi jocus fuerit. Jocus inter familiares usitatus. In jocis nostris DEus non est offendendus.

FELIX. GILARDUS.

QUis iste est novus liber deauratus, quem tam magnificè ostentas? G. Terentius. F. Ubi impressus? G. Lutetiæ. F. Quis tibi dedit eum? G. Emi pecuniâ meâ. F. Undè nactus eras pecuniam? G. Stultè istud quæris? quasi verò furatus sim. F. absit â me id cogitare, sed animi causa id rogabam. G. Nec ego seriò dictum tuum reprehendi: sed eo more jocari solemus cum familiaribus. F. Nihil prohibet jocari, modò ne Deus offendatur. Sed age, ad propositum revertamur, de quo emisti Terentium istum? G. De Clemente. F. Istonè Bibliopola circumforaneo? G. Maxime. F. Quanti constitit? G. Decem assibus. F. Nihilnè amplius? G. Nihil omninò. F. Profectò satis vile precium. E. Præsertim, quum auratus adeoque eleganter compactus sit? F. Erantnè codices alii similes? G. Duo vel tres. F. deduc me, quæso, ad illum. G. Eamus.

VII.

Gilardus ab Hermanno librum commodatò petit: non

non dat Hermannus, quia jam alteri dederat, idem mavult injuriam pati, quam accusare condiscipulum ob privatam injuriam.

O charitatem rarissimam! Consilium bonum res est tutissima.

GILARDUS. HERMANNUS.

COmmoda mihi Virgilium tuum in duos dies, si nullo incommodo tuo id fieri potest. H. Profectò non possum. G. Cur non? H. Quùm Gerardus his diebus à me commodatò accepisset, pignori oppositit. G. Ain tu, pignori? H. Sic est, ut dico. G. Quanti oppignoravit? H. Tribus (ut ait) assibus. G. O hominem ingratum, imò verò & ingratum & malum. Sed numquid ille rem tuam oppignorare potuit, te inconsulto? H. Potuit, ut factum vides. G. Non tamen debuit. H. Rem acu tetigisti: sed quid facerem? G. Rogas. Defer eum ad Præceptorem. H. Malo istam pati injuriam, quam committere, ut miser vapulet. G. Benè facis, dummodò tuum reddat. H. Reddet, spero. G. Unde redderet? H. Ait, se brevi accepturum à Patre pecuniam. G. Quid, si te fallit? H. Fieri potest. Sed tamen aliquot dies exspectabo, quid futurum sit, deindè consilium capiam. G. Consilio recto nihil est tutius. H. Meministi probè: sic enim Præceptor dictavit nobis, sed numquid vis aliud? G. Ut benè tibi sit. H. Et tibi optimè.

IIX.

Quæritur liber per oblivionem relictus. Arguitur negligentiæ, qui reliquerat.

HER-

HERMANNUS. JUSTUS.

VIdistine librum meum? J. Quem librum quæris? H. Ciceronis Epistolas. J. Ubi relique-ras? H. Oblitus eram in auditorio. J. Tua fuit negligentia. H. Fateor, sed interim indica, si quem scias accepisse. J. Cur non adis Præceptorem? solet enim (ut scis) quæ à nobis relicta sunt aut ferre in musæolum, aut alicui dare, qui reddat. H. Benè mones, ô me oblivioſum, cui istud in mentem non venerat.

IX.

Liber inventus redditur suo domino.

Summo jure non est semper agendum. Leges Scholasticæ. Leges æquitate regendæ. Causa sine periculo. Petitur gratiæ relatio. Exemplum hic est charitatis.

JUSTUS. LEVINUS.

NOnne hic liber tuus est? L. Ostende mihi: agnosco meum, ubi inveniſti? J. In auditorio nostro. L. Ago tibi gratias, quòd eum collegeris. J. Atque nunc notandus esses, si summo lure vellem tecum agere. L. Quid ita? J. Nescis leges nostras Scholasticas? L. Ipsæ etiam leges cupiunt, ut jure regantur. J. Quo jure reguntur leges nostræ? L. Æquitate, & Præceptoris arbitrio, nempe qui nobis eas privatim condiderit: præterea non solet tàm severus esse in eo, quod vel negligentiâ vel oblivione peccatum est. J. Sic sæpè expertus sum: sed quoquo modo peccaveris, dicenda erit causa coram observatore. L. Non timeo causam dicere, ubi nihil est periculi.

li. J. Taceo. L. Sed quæso quid opus est, ut id sciat observator, hic enim DEUS nihil offensus est. J. Age, celabo. L. Benè facies. J. Sed heus! memento par pari referre, si forte mihi acciderit aliquod delictum ejusmodi. L. Æquum bonum dicis: meminero.

X.

Levinus & Marcus suos sibi vicissim libros enumerant.

Legendi interdum libri extraordinarii. Præstat sero, quàm nunquam discere.

LEVINUS. MARCUS.

HAbesnè multos libros? M. Non admodum. L. Sed quos habes? M. Rudimenta Grammaticæ, Colloquia Scholastica, Terentium, Epistolas Ciceronis, cum vernaculâ interpretatione, Catonem, Dictionarium, Testamentum Germanicum, Psalmos cum Catechismo, præterea librum chartaceum ad scribendum dictata Præceptoris. Tu verò quos habes? L. Omnes habeo, quos enumerasti, præter Catonem, Terentium, & Ciceronis Epistolas. Cur enim libros haberem, qvi non præleguntur in classe nostrâ? M. At ego, dum sumus otiosi, lego interdum illos: ut semper aliquid novi addiscam, præsertim in linguâ latinâ & honestis moribus. L. Prudenter facis, mi Marce. ô me miserum! qui nunquam didici, quid sit studiosum esse. M. Disce igitur: Præstat enim sero, quam nunquam discere. XI.

Amici libera reprehensio, si bene accipiatur, haud mediocriter prodest.

OBERTUS. FONTANUS.

UNde nunc redis? P. Foris. O. Cur prodieras? P. ut irem domum. O. Quid eò? P. Petitum libros meos. O. Ehò, cur non attuleras? P. Oblitus eram. O. Siccinè soles jentaculum aut merendam obliviſci? P. Rariſſimè. O. Profectò magna fuit negligentia. P. Immo maxima: ſed quid agas? pueri ſumus. O. Quid ſi Præceptor tuum factum ſciret? P. Fortaſſe pœnas darem. O. Ain tu fortaſſe? procul dubio vapulares. Non te pudet, ſine libris in ſcholam venire? P. Non ſolùm pudet, ſed etiam piget: veruntamen ne me accuſes, obſecro. O. Nihil minùs cogito: ſed non poſſum diſſimulare, quin ego te reprehendam. P. Iſtud (credo equidem) amicè facis: itaque boni conſulo. O. Id ſatis eſt mihi. Eamus intrò in auditorium. P. Tempus eſt: jam decuriones exigunt ſcripturæ rationem.

XII.

Oblato occaſione quidam profectus, ſermonem ad parvuli captum, docendi gratiâ, accommodat.

Exemplum eſt, quòd nulla benè agendi occaſio, præſertim in docendo, ſit prætermittenda.

PONTANUS. RENATUS.

QUid rides? R. Neſcio. P. Neſcis? magnum ſignum ſtultitiæ! R. Me igitur ſtultum vocas? P. Minimè verò: ſed dico tibi, argumentum eſſe ſtultitiæ, quum quis ridet, & ridendi cauſam neſcit. R. Quid eſt ſtultitia? P. Si diligenter evolvas Catonem tuum, iſtud, quod quæ-

quæris, invenies. R. Nunc non habeo meum Catonem, & volo aliam rem agere. P. Quod habes negotium? R. Habeo edisçere aliquid de rudimentis. P. Et interim quæris fabulari, ineptule. R. Dic mihi (quæso) de stultitia in Catone. P. *Stultitiam simulare loco, prudentia summa est.* An non hæc didicisti? R. Immò, sed non recordabar. P. Quum domi eris, inspice librum tuum. R. O quantas gratias ago tibi! ego proponam alicui istam quæstionem, qui non poterit mihi respondere: & sic erit victus. P. Tace, puer, tace, & stude, ne vapules. R. Non multum curo: ego fere teneo prælectionem. P. Nisi taceas, dicam observatori, qui te statim notabit. R. Mane, mane, nihil dicam amplius. P. Sed memento id, quod dixi tibi. R. Quid est? P. Ne rideas unquam sine causa. R. Sed ridere non est malum. P. Non dico istud. R. Quid igitur? P. Stultum est sine causâ ridere. R. Nunc intelligo. P. Recordare sæpe.

XIII.

Puer, languens parentum desiderio, retinetur à Præceptore: & à condiscipulis, ne domum abiens perdat tempus admonetur.

SIMON. TITUS.

QUid tecum cogitas, Tite? T. Libenter irem domum. S. Quid eò? T. Ut me his diebus parumper recrearem cum matre. S. Quid obstat, quò minus eas? T. Præceptor non vult permittere. S. Melius tibi consulit, quàm ipse putas. T. Quomodo? S. Nam interea perderes

multum temporis: & quum rediſſes, tibi doleret, nonne verum dico? T. Profectò ſic eſt. S. Mane igitur, ſi ſapis. T. Parebo tuo conſilio: quia mihi rectum videtur. S. Nollem ſciens malum tibi conſilium dare. Atque utinam, quod ſuadeo, ſuccedat tibi proſpere. T. Spero ita fore, DEO volente.

XIV.

Scripturus quidam detrectat prælectionem repetere.

Ludo temporis quid detrahendum, idque ſtudiis impendendum. Exemplum pueri luſibus dediti.

TITUS. VINCENTIUS.

VIncenti. V. Quid vis? T. Repetamus unà prælectionem. V. Non eſt mihi otium. T. Quid habes negotii? V. Volo ſcribere. T. Quid ſcribere paras? V. Dictata Præceptoris. T. Cur heri non ſcripſiſti? V. Quo tempore ſcripſiſſem? T. Quum luderetur. V. At ego nolebam amittere ludendi occaſionem. T. Ah piger, nihil aliud quàm luſiones meditaris: nonne diebus Mercurii & Sabbathi ternæ ſunt horæ liberæ? V. Liberæ quidem ſunt, ſed ad luſum deſtinatæ, deputatæ, attributæ, aſſignatæ. T. Imo partim luſibus, aut alicui honeſtæ remiſſioni, partim ſtudio literario ſunt dicatæ. V. Fateor, duntaxat iis, qui volunt immorari ſtudiis. T. Non poteras heri ſesquihoram detrahere ludo tuo aut ſaltem horam unicam? V. Tu ſtude, quantum voles: ego verò ludam, quamdiu licebit. T. Per me quidem licebit, ſed interim parum promovebis in literis. V. Nonne Præceptori ſatisfacio? T. Utcunque. V. Tu igitur, ſtudioſe, vis eſſe Præceptore

ceptore ipso severior? Omitte me tandem; age tuum negotium, ego meum. T. Age, age, ut libet.

XV.

Vincentius arguit Alardum negligentiæ: Alardus fatetur culpam: promittit diligentiam imposterum.

Exemplum bonæ indolis in puero.

VINCENTIUS. ALARDUS.

NIhilne est, quod reddamus hodiè Præceptori? A. Nihil, nisi de Grammaticæ rudimentis. V. Quidnam? A. Inspice librum tuum, invenies notas in quinque lectiones, quas Præceptor nobis præscripsit. V. Quando istud fuit? A. Die Veneris horâ quartâ. V. At, ego tunc non interfui. A. Ergò plagas meruisti. T. Siccine judicas: severe judex? occupatus eram domi, nec abieram injussu Præceptoris. A. Esto: sed tamen debuisti postridiè quærere, quid pridie actum esset? V. Meam culpam confiteor, sed cedò librum tuum, quæso, ut videam, quid nobis reddendum sit. A. Accipe, & eâdem operâ signato, quæ à Præceptore nobis præscripta sunt. V. Faciam diligenter, neque posthac, ut spero, me accusabis negligentiæ.

XVI.

Vehementer dolet Beëtius, se à suorum studiorum socio Campano deseri, adeò ut ne amicis quidem & salutaribus admonitionibus leniatur dolor.

Locorum intervallum non semper dirimit amicitias.

BOETIUS. CAMPANUS.

ERgone abis in patriam? D. Cogor abire, nempe accersitus à patre B. Nunquàmnè es reversurus? C. Non spero. B. Quando profecturus es? C. Crastino die, ut opinor. B. Siccine igitur me relinquis? C. Ita necesse est. B. O me miserum! ubi & quando amicum talem reperiam? talem studiorum meorum socium? C Ne doleas: esto animo bono, meliorem dabit tibi Deus. B Ille quidem potest, scio, at ego vix sperare possum. C. Noli, obsecro, te affligere tantoperè, nec enim hâc separatione corporum, interitura est amicitia nostra: quin potiùs accrescet magis, & absentes corpore præsentes animis erimus. Quin epistolæ, quas ultrò citroque dabimus? quantam vim speras habituras esse? Quid quod mutuo illo desiderio amor ipse noster fiet jucundior? B. Verisimilia sunt, quæ dicis, omnia, sed interim non lenitur dolor meus. C. Ah reprimè lachrymas B. Non queo præ dolore. C. Siccine ais? An putas me minori dolore tangi? sed quid agas? divinæ voluntati parendum est. Nunc ipse te collige, obsecro, ac potiùs ad hilariter cœnandum te para: pluribus à cœna colloquemur. B. O quàm triste divortium!

XVII.

Doctrina pueris maximè necessaria, de fugiendâ videlicet pravorum consuetudine, & maxime impostorum.

Exemplum amici fidi in dando consilio.

CAMPANUS. DOMINICUS.

NOn meministi, Præceptorem tàm sæpè monere nos, de fugiendis sodalibus pravis? D. Ego

Ego verò probè memini. C. Tamen alicubi satis negligenter uteris ejus monitis. D. In quo videor tibi ea negligere? C. Dicam tibi: si modò attentè audias. D. Dic obsecrò mihi: audiam attentissimè. C. Nunquam vis cavere ab illo impostore? D. Cur caveam? C. Ne illius contagione depraveris: nosti enim, eum esse pessimum. D. Atqui non sponte sequor: ad me accurrit undique. C. Nimirum, quia novit, te habere, quod des: & dare libenter, ac sæpè. D. Quid igitur mihi faciendum suades? C. dic semel & serio, & quasi animo irato, quid vis, amice? cur me ubique sequeris, omnes clamitant, te esse pessimum, & ideò sodales tui esse nolunt: proindè omitte me posthac, quæso: ne, tuâ causâ, virgis palam cædar. D. Quid, si velit aliquid contra respondère? C. Abrumpe illi sermonem, teque recipe celeriter. D. Ago tibi gratias, quod me tàm fideliter monueris. XIIX.

Quidam quòd abfuerit, quærit ex condiscipulo, quid actum sit in auditorio.

DOMINICUS. ENNIUS.

QUid actum est in auditorio horâ tertiâ? E. Tractatæ sunt orationis partes ex prælectione D. Nihilnè amplius? E. Dixissem, nisi me interpellasses. D. Erravi: perge. E. Postea dictavit Præceptor argumentum vernaculum hodie vertendum. D. Quando reddendum? E. Cras meridiè. D. Jamne vertisti? E. Utcunque. D. Dicta mihi quæso vernaculum. E. Excipe, festina, nam habeo scribere aliquid.

XIX.

Puer cœnatus prælectionem repetit.

A cœnâ non ſtatim ſtudendum. Prælectiones ſæpiùs legendo & relegendo facilè ediſcuntur.

ENNIUS. FERDINANDUS.

QUò properas? F. Eo cœnatum: quid tu? E. Jam cœnavi. F. Quotâ horâ? E. Quintâ, ut fere ſolemus. F. Quid nunc ages? E. Repetam aliquid eorum, quæ reddere habemus craſtino die. F. Ego didici ex pædagogo meo, non eſſe tam citò à cibo ſtudendum. E. Iſtud ego quoq; didici, ſed nolo nunc ediſcere. F. Quid ergò facies? E. Ego quaſi animi causâ prælectionem particulatim aliquoties legam & relegam. F. Quid tùm? E. Ita paulatim fiet, ut ſine curâ, ſine tædio, ſine moleſtiâ bonam partem prælectionis ediſcam F. Iſta non ſatis intelligo, certè videris mihi ſupra ætatem ſapere. E. Non eſt res adeò difficilis, quin te docere poſſem, niſi ad cœnam properares. F. De cœna in tempore admones; ego igitur ejus causâ me domum recipio; Vale! E. Ducat te Deus & reducat.

XX.

Ferdinandus conferre quærit de concione ſacrâ, Gualterus recuſat atque offenditur.

Exemplum in morum diſſimilitudine.

FERDINANDUS. GUALTERUS.

HOdie te non vidi in concione: quid illud ſibi vult? G. Quid ſibi velit, neſcio: ego tamen interfui. F. Narra mihi, quæ mandaſti memoriæ. G. Non eſt tuum à me rationem exigere. F. ego quidem non exigo: verùm id rogo, ut memoriæ cau-

causâ conferamus unà. G. Malim nunc solus recordari: audies me, si voles, quum Præceptor nos ante prandium interrogabit. F. Quid mali esset, si nunc inter nos eâ de re conferemus. G. Nihil mali esset, fateor, sed nunc mihi non libet. F. Tua igitur te libido regit. G. Omitte me, cur molestus es? F. Omitto sanè, sed audi unum verbum. Non decet puerum esse tàm morosum. G. Nec puerum decet esse tàm molestum.

XXI.

Præmii parvitas contemnitur à sordido.

Præmium non lucri, sed honoris causâ datur.

HUGO. JACOBUS.

QUi sunt victores hâc hebdomade? J. Ubi eras, quum rationes redderentur? H. Accersitus à patre fueram: sed qui sunt victores? dic sodes J. Ego & Puteanus. H. Jamnè habuistis præmium? J. Habuimus. H. Quodnam? J. Duodenas juglandes. H. Hui! quale præmium. J. Eho. inepte, æstimas ergò præmium ex rei pretio? H. Hic nihil aliud video æstimandum. J. Sordidus es, qui lucro sic inhias. Non meministi verbum Præceptoris? H. Quod verbum? Non lucri; sed honoris causa datur præmium. H. Nunc reminiscor, quasi per nebulam: posthac ero diligentior. J. Sic tandem sapies.

XXII.

Omnis victoria, nisi ad gloriam DEI referatur, mera est vanitas. Victoria modesti adolescentes rectè utuntur: stulti contrà faciunt. Curiositas. A.

pue-

Pueris tria potissimum curanda. Sine Deo nihil fit boni. Spiritus divinus in nobis operatur. Omne bonum à Deo esse, confitendum est. Deus auctor fidei: idem & perseverantiæ. Spes bona. Adolescentum ingenuorum consensio in bonum.

JODOCUS. LIGARIUS.

VAldè miror, cur hodiè manè non adfueris. L. Quid miraris tantoperè? Nihil hoc est novi: multi absunt quotidiè, immò ferè horis singulis. J. Atqui victoria tibi erat in manibus. L. Quid ego curo, ejusmodi victoria (ut benè dicebat quidam) nihil aliud est, quàm brevis gloria. J. Sed interim modesti adolescentes hinc ad studia magis incenduntur: nec tamen inani gloria tumescunt: sed ad honorem DEI referunt, quicquid indè laudis accesserit. L. Istud certè raro contingit. Plures enim sunt, qui victoria abutuntur ad privatam gloriam, quàm qui divini honoris rationem habeant. J. Verisimile dicis. L. Immò verissimum. J. Sed velim mihi dicas, cur abfueris? L. Scripsi ad patrem literas. J. Cujus nomine? L. Matris. J. Dictavitnè tibi ipsas? L. Quid scripsissem, nisi dictasset? J. Quid continebant literæ? L. Longum esset tibi narrare. J. Saltem dic earum argumentum L. Varium erat & multiplex, & quid tua, quæsò, refert? J. Nihil. L. Cur ergò tam avidè quæris? J. Animi causâ, ut ferè curiosi sumus novi aliquid audiendi. L. Nihil aliud, quàm garris: omitte me. J. Ausculta paucis. L. Age, auscultò, loquere, quid velis. J. Scire cupio, ubi sit pater tuus. L. Quasi verò

verò nescias. J. Unde scirem? L. Quum sit tibi notissimus & quum simus vicini, non putassem, te ignorare. J. Dic tandem quæso. L. Est Londini. J. Quando est profectus? L. Abhinc dies quatuor. J. Quid illic agit? L. Negotiatur. J. Quando rediturus est? L. Finito mercatu. J. Ad quod tempus finietur? L. Roga mercatores: non est meum curare talia. J. Quid igitur curas? L. Ut Deum timeam, parentibus obediam, bonas artes cum pietate discam. J. Næ tu magnificè loqueris: sed dic mihi seriò potesne res tantas efficere? L. Ego minime istud mihi assumo; quin potiùs fateor: ne incipere quidem penes me esse. J. Quid ergò de te fiet? L. Deus ipse in me operabitur. J. Optimè sentis, nihil ex te præterea requirebam. L. Est Deo gratia, cui acceptum refero; quicquid inest in me boni. J. Istud rectè, & laudo equidem, ne tibi videar nihil aliud quàm garrire. L. Quum illud dicerem, jocabar sanè. J. Ego sic accepi: sed tu, ut cœpisti, perge discere & sapere. L. Qui mihi dedit fidem, idem, ut spero, perseverantiam dabit. J. Benè speras, & ego idem spero tecum. Itaque pergamus vivere inter nos conjunctissimè, ut adhuc facimus. L. Per me quidem non stabit, nisi ope divinâ prorsus ero destitutus. J. Avertat ipse Deus, sed audin'tu horologium. L. Ut in ipso tempore sermonem finiamus.

XXIII.

Latinus sermo colloquiis exercetur, colloquiorum materia. Otiosus sermo, qui sit. Docilitas.

LIGARIUS. MACARIUS.

Unde

UNde redis ? M. Foris. L. Cur exieras ? M. Redditum urinam. L. Qualis est cœli facies ? M. Nebulosa. L. An regelat ? M. Sic resolvitur gelu, ut nives omninò liquescant. L. Etiamnè pluit ? M. Sensi aliquid supernè destillare. L. Fortasse in transitu, e stillicidio tecti. M. Immò è nubibus, scio : quòd si non credis, vide tu ipse. L. Quasi ego tibi non credam in re tantillâ. M. Cur igitur dubitare videbaris ? L. Ut pluribus verbis tecum fabularer. M. Quorsum id pertinet ? L. Ad latinum sermonem exercendum. M. Sed interim sæpè otiosa verba dicimus, à quibus omninò abstinendum Christus præcipit. L. Totâ erras viâ in præcepti intellectu. M. Cur istud dicis ? L. Quia non est otiosus sermo, qui ad aliquam institutionem refertur, præsertim ubi agitur de bonis & honestis rebus, qualia sunt DEI opera in rebus naturalibus. M. Videris mihi rectè sentire, proinde facilè tibi assentior. L. Sed hæc hactenus : instat nobis aliud negotium. M. Age, desinamus.

XXIV.

Macarius & Nicomachus jocantes se exercent in usu & Syntaxi hujus nominis : Domus : & obiter alia simul tractant.

Sinè DEI voluntate nihil fit.

MACABIUS. NICOMACHUS.

QUod est tibi domicilium ? N. Paterna domus. M. Unde nunc venis ? N. Domo M. Ubi prandisti ? N. Domi. M. Ubi cœnabis ? N. Domi vestræ, ut spero. M. Qui scis ? N. Pater ipse

ipse tuus hodiè me invitavit. M. Ubi illum vidisti? N. Domi Varronis. M. Quod illic erat tibi negotium? N. Pater me miserat nunciatum aliquid. M. Scire etiam velim, ubi sis cubiturus? N. Domi fratris. M. Quid habes negotii cum fratre tuo? N. Dixit sorori nostræ, se velle convenire me otiosè. M. In quâ domo habitat? N. In quâdam conductitiâ. M. Eho nullamnè habet propriam domum? N. Habet quidem, sed eam locat quibusdam inquilinis. M. Locat igitur domum propriam, conducit alienam? N. Scilicet ut ex me audis. M. Quanti locat? N. Octodecim aureis Italicis, quos nunc *Pistoletos* vocant. M. Cur illam non potiùs habitat? Quia sita non est in loco satis commodo, sive (ut ita loquar) mercatorio. M. Sed illam alienam quanti conducit? N. Longè pluris. M. Quanti igitur? N. Quinque & viginti. M. Cara est habitatio. N. Carissima, sed quid agas? locicommoditas id facit. M. Age, ut aliquando tandem finiamus, dic precor, scisnè, ubi cras futurus sis? N. Domum revertar, ut indè in scholam me conferam, siquidem permiserit Dominus. M. Cur addis, si Dominus permiserit? N. Quia, nisi permissu DEI, ne domo quidem exire possemus. M. Istud audivi sæpè ex Præceptore. N. Cur ergò rogabas? M. Quia nunquam nimis dicitur, quod benè dictum fuerit, præsertim, ubi de rebus divinis agitur. N. Istud quoque ex Præceptore didicimus. M. Verum: sed utile est, talia sæpè repetere ad memoriam exercendam. N. Vide, quò nos sen-

sim

sim adduxerit tua prima interrogatio. M. Tantum volebam paucis verbis tecum jocari. N. Agè, quoniam nunc satis animum exercuimus, non vis etiam corpus exercere, valetudinis causa? M. Quidni velim? N. Eamus igitur lusum pilâ palmariâ: nam eo lusu scio te delectari. M. Delector sanè: sed nunc pilam non habeo. N. Ecce tibi: sequere me. M. Ego sequor libens: tu me benè ducito.

XXV.

Euntes in scholam Latinè colloquuntur.

Simile gaudet simili. Improborum mores probis odiosi.

NICOMACHUS. OTHOMANNUS.

SAlve Othomanne. O. Tu quoque salvus sis, Nicomache: quota est hora? N. Mox audies sonum semihoræ post quintam. O. Benè habet, maturè satis aderimus. N. Gaudeo, me tibi occurrisse, ut euntes Latinè tantisper colloquamur. O. Ea sanè est utilis & jucunda exercitatio. N. Quoties incido in aliquem ex istis dissolutis nebulonibus, mallem rhedarium offendisse. Non enim per eos mihi licet aliquid in viâ meditari, adeo mihi sunt eorum mores odiosi. O. Nihil mirum; nam ferè sunt ejusmodi, ut neque loqui velint quidquam boni, neque audire sustineant. N. Quid cum illis agas, quibus nihil est curæ, nisi, ut suas libidines expleant? O. Nihil aliud crepant, nisi suas cupedias & meras compotationes in secretis cauponulis. N. Etiam nos irrident plenis buccis, quod Latine per vicos loquamur: illud verò est omnium pessimum, quod

quòd nusquam se patiuntur admoneri. O. Quia scilicet, ut ait Propheta, non est timor Dei ante oculos eorum. N. Si quid occœperis amice commonere, statim audies: tace, concionator, obtundis me; quòd si dixeris, deferam te ad Præceptorem, aut ad observatorem: Oh ego istud non curo, inquiunt, tu non audebis. Nam si me incusares, non ferres impunè. O. Immò verò te continuò verberabunt, si locus erit semotus ab arbitris. N. Profectò, quum quidam eorum me nuper offendissem in quodam recessu, impegit mihi in utramq; malam duos ingentes colaphos, & aufugit continuè. O. Quid tu, quæso, interea? N. Quid istud quæris? tàm illud subitum fuit, ut vix hominem adspicere potuerim. O. Sed qui tàm citò & sensim ad scholam pervenimus? N. Sic ferè confabulantibus usu venire solet. O. Age, ingrediamur sine murmure & strepitu, ne studentes offendamus.

XXVI.

Res ad bonam scripturam necessaria. Probus puer benè merendi occasionem non modò exspectat, sed etiam quærit. Charitas Christiana: Spiritus autor ejus.

Exemplum diligenter notandum.

OTHOMANNUS. PHILIBERTUS.

SErione scribis tu, an ineptis? P. Equidem scribo seriò, cur enim tempore abuterer: Tu verò cur istud rogas? O. Quia vidi aliquando, quum bene scriberes. P. Scribo interdum melius. O. Qui fit igitur, ut nunc tàm scribas malè? P. Desunt mihi benè scribendi adjumenta. O. Quæ tan-

tandem? P. Bona charta, bonum atramentum, bona penna. Nam hæc mea charta (ut vides) misere perfluit: atramentum est aquosum & subalbidum, penna mollis & malè parata. O. Cur ista omnia non maturè providisti? P. Pecunia mihi deerat, & nunc etiam deest. O. Incidisti in illud vulgare proverbium: Cui deest pecunia, huic desunt omnia. P. Sic agitur mecum. O. Sed quando te speras accepturum? P. In mercatu proximo pater ad me missurus est, aut ipsemet venturus. O. Ego te interea juvare volo. P. Siquidem id potes, magno me beneficio affeceris. O. Accipe hos sex asses mutuò, ad chartam & cætera comparanda. P. Quam verè dictum est illud! Amicus certus in re incertâ cernitur. Sed quid te impellit, ut mihi ultrò tam benignè facias? O. Charitas illa DEI, quæ (ut Paulus ait) effusa est in cordibus nostris. P. Mira est vis divini Spiritûs, qui ejus auctor est charitatis. Sed mihi interim cogitandum, quomodo tibi referam gratiam. O. Parva res est, omitte istam cogitationem, ne te impediat, quô minus in utramvis aurem dormias: tantum redde mutuum, quum tibi commodum fuerit. P. Reddam, ut spero, propediem. O. Eamus ad precationem, ne notemur. P. Adde unum; si placet. O. Quid est? P. Ne hodiè incœnati mittamur cubitum. O. Ha, ha, he.

XXVII.

De emptione scalpelli librarii, & ejus probatione.

Solus DEus bona docet.

PHI-

PHILIBERTUS. QUINTUS.

UNde redis tàm anhelus? Q. A foro. P. Quid illinc adfers? Q. Scalpellum. P. Quanti emisti? Q. Duobus assibus. P. Estnè bonum? Q. Est à Brabantiâ, ut dixit mercator: vide notam. P. Ego minimè novi: sed tu non satis prudenter facis, qui fidas cuilibet mercatori. Q. Quid facerem? P. Debuisti aliquem peritum adhibere, qui tibi optimum deligeret. Q. Hic erravi, fateor: sed hoc me consolatur, quod mercator habetur vir bonus utpote professionis Evangelicæ. P. Quasi nulli sint fallaces ejusmodi. Q. Puto esse plurimos, sed hæc omittamus? quin potiùs experiamur ipsum scalpellum. P. Experientia docebit nos. Q. Accipe, & tenta, obsecro. Non enim probavi nisi leviſſimè, idque inter emendum. P. Papæ! quis te docuit tàm prudenter eligere? Q. Rogas? non meministi, Præceptorem nobis dicere tàm sæpè, DEum esse solum, qui bona doceat? P. Profectò hic optimè te docuit. Q. Ago illi ex animo gratias: & precor, ut me semper doceat parere suæ voluntati. P. Ego quoque idem precor, nec solum nobis, sed etiam piis omnibus. Q. Facis, ut pium decet puerum. Sed estnè tempus, ut conferamus nos in auditorium? P. Sic est, sume libros, & eamus unà.

XXIIX.

Consilii mutatio propter spem lucri. Consilium bonum etiam inimicis dandum.

Christus magister optimus. Doctrina Christi studiosè sequenda. Spiritus divini instinctus.

QUINTUS. ROBERTUS.

EMistinè scalpellum, ut nuper volebas? R. Non emi. Q. Quid obstitit? dixeras enim mihi, empturum te hodiè? R. Dixeram quidem: sed mihi postea in mentem venit, præstare, ut exspectem mercatum proximè futurum in hac ipsa urbe. Q. Quid facies lucri? R. Et minoris emam & melioris notæ, nempe ex inferioris Germaniæ officinis. Q. Quis tibi istud consilium dedit? R. Hieronymus noster. Q. Benè fecit. Debemus enim amicis bonum consilium semper dare. R. Tantumne igitur amicis? Q. Immò & inimicis: fateor, quia sic jubet Christus, præceptor noster optimus. R. Utinam doctrinam ejus benè infixam memoriæ conservemus, eamque perpetuò sequamur. Q. Faxit ille Spiritus bonus, cujus unius instinctu animi nostri ad benè agendum accenduntur. R. Benè precaris.

XXIX.

Theodorus & Villerius de scalpello recens empto colloquuntur.

Res inventa restituenda est domino, si cognosci potest. Inventori dandum aliquod præmium. DEus precandus & laudandus.

THEODORUS. VILLERIUS.

QUid ais de scalpello, quod emeram tibi nudius tertius, estnè satis bonum? V. Immò verò est optimum, sed me miserum! parum abfuit, quin perdiderim. T. Eho, quid ais, quomodo id accidit? V. Quum redirem foris, exciderat mihi in vico. T. Unde exciderat? V. E thecâ meâ quam im-

imprudenter apertam reliqueram. T. Quomodo recuperasti? V. Affixeram statim chartulam valvis januæ: post prandium quidam puer sextæ classis mihi retulit. T. Utinam omnes tàm fideles essent, qui res amissas reperiunt! V. Profecto pauci sunt, qui restituant, si modo sit res alicujus precii. T. Et tamen verbo DEI nominatim præcipitur. V. Quidni? est enim furti species, si quis rem alienam inventam retineat, modo sciat, cui reddenda sit. T. At plerique putant, se jure possidere, quicquid amissum invenerint. V. Dedi iextantem, & nuces aliquot juglandes: laudavi præterea, & paucis admonui, idem semper esse faciendum. T. Rectè fecisti, sic enim libentius reddet alias, si quid repererit. Sed quid, si perdidisses? V. Æquo animo tulissem, & mihi emissem aliud. T. Itane æquo tulisses animo? V. Certè non sine aliqua molestia. T. Non igitur æqo animo: sed nolo te arctiùs urgere. V. Non sumus Theologi. T. Quid ergo? V. Grammaticuli. T. Et quidem imperiti. V. Tanto diligentiùs Deum precari debemus, ut per Evangelium suum nos liberet ab ignorantiæ tenebris, in quibus & versati sumus, & adhuc versamur. T. Id vero faciemus, si sanctis admonitionibus pareamus, quas audimus quotidiè à Præceptore, sæpè à concionatoribus, divini verbi administris. V. Vide, quantum nobis profuerit scalpelli mei amissio. T. Ob eam rem tibi dupliciter gratulor, primùm, quod tibi rectè emerim: deinde, quod amissum recuperaveris. V. Habeo tibi gratiam, mi Theodore. T. Quin

Patri noſtro cœleſti ſit laus & gratiarum actio. V. Amen.

XXX.

Pennæ venales. Diverſa vivendi ratio pro locorum diverſitate. Hic obſerva communem emptorum morem, qui tot verbis tentant de pretio indicato aliquid detrahere.

VILLERIUS. ARNOLDUS.

PEnnæ iſtæ, quas circumfers, ſuntne venales? A. Etiam, ſi ſe emptor obtulerit. V. Oſtende: vah, quàm ſunt molles! A. Tales deciderunt ex alis noſtrorum anſerum, ſed tenta diligenter, ſunt enim aliæ aliis firmiores. V. Satis video, quales ſint, quod vis dare pro quadrante? A. Tantùm ſex. V. Quid ais? ſex mallem emere ab agyrtis, qui ex Rugiâ & Pomeraniâ huc adferunt. A. Quaſi neſciam, quanti vendantur. Audivi ex fratre, qui dat operam ſcribæ hujus civitatis, ſe emiſſe Sundii ſingulis aſſibus. V. Aliter Sundii, aliter Roſtochii vivitur: ſed non opus eſt tot verbis, vis dare duodecim? A. Hui, duodecim! quaſi ego furatus ſim. V. Iſtud non dico: ſed vide, num tibi placeat conditio. A. Vis, uno verbo dicam? V. Dic quæſo: ſatis jam garritum eſt. A. Dabo tibi novem: modò promiſcuè de mea manu accipias. V. Nugas agis, ego ſine delectu nollem accipere quindecim. Vale alibi inveniam ſatis. A. Per me licet: heus, heus, redi! V. Cur me revocas? A. Accipe, ſi vis, octo, nec à me plures exſpecta. V. Cedò totum faſciculum, ut deligam arbitratu meo. A. Tene, delige, ut voles. V. Vide nunc, & ſi libet,

libet, numera. Sunt viginti quatuor: constat numerus, sed miror, te nullos accepisse ex alâ extrema: sunt enim firmiores. V. Scio: sed habent caulem breviorem, accipe pretium. A. Benè vertat DEus utrique nostrum. V. Idem tecum opto, atque precor: Sed quando afferes meliores pennas? A. Nescio, num meliores possim, sed ut spero, brevi plures afferam: quum ad nos domum proficiscar. V. Suntne vobis multi anseres? A. Triginta & amplius. V. Papæ! quantus grex anserum, ubi pascuntur? A. Scies alias, non licet mihi diutius hic morari, vale, Villeri. V. Cura, ut valeas, Arnolde.

XXXI.

De pennis ad scribendum acuendis. Pennarum bonarum notæ.

CAPELLUS. DIONYSIUS.

MIhi non videris nimis occupatus. D. Mediocriter. C. Quid, si mihi exacuas duas aut tres pennas? C. Satis sit tibi, si unam acuero in præsentiâ, suntne novæ? C. Novæ quidem, sed paratæ, usque dum acuantur: jam enim lævigavi; caudam rescidi, detraxi plumulas. D. Ostende: profectò sunt optimæ, & ad scribendum aptissimæ. C. Unde id nôsti? D. Quia sunt caule amplo, firmo & nitido, nam molles, & quæ caulem breviorem habent, parùm sunt ad scribendi usum habiles. C. Gaudeo me utiliter emisse. D. Non absre, sed quanti? C. Pro his tribus dedi quadrantes duos. D. Singulas igitur binis emisti denariolis. C. Res apparet: est vile pretium, pro rei boni-

tate. D. De quo emisti? C. De quodam circumforaneo. D. Apud hujus oppidi mercatores singulæ, & quidem minùs bonæ, venduntur sextantibus. C. Et tamen audent interdum dicere, pluris sibi constare Sundii. D. Ea ferè est mercatorum consuetudo, nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur, ut ait Cicero. C. Sed age, ne diutiùs te remorer, agamus, quòd instat. D. Citò expediero: adspice me diligenter, ut discas aliquando. G. Adspicio intentis oculis: sed mihi opus est spacio paulò longiore. D. Istud ergo fiet in cubiculo, si quando me velis invisere. C. Quo tempore? D. Post Scholæ missionem: hoc est, horâ nonâ matutinâ, vel quartâ pomeridianâ. Nunc habes pennas duas, rectè, ni fallor in usum tuum accommodatas. Hanc tertiam in aliud tempus tibi integram servabis. C. Accipe tibi, si placet. D. Quin tibi serva: domo adferuntur mihi satis multæ. C. Ago tibi quantas possum gratias, vale! D. Incolumem te conservet DEus. Sed heus! ne parcas unquam labori meo. C. Tu quoque & me & rebus meis vicissim utere, si quid opus fuerit. Iterum vale.

XXXII.

Eustathius & Fontanus experiuntur atramenti sui mixturam.

Mediocritas. Experientia. Ex duobis corruptis aliquid componitur.

EUSTATHIUS. FONTANUS.

HAbesne bonum atramentum? F. Cur istud rogas? E. Ut mihi des aliquantulum. F. Ehò! non

non habes? E. Imò: sed eo non possum scribere. F. Quid obstat? E. Quia nimis spissum est. F. Nescis diluere? E. Non est mihi aqua. F. Dilue vino. E. Multò minus. F. Quid si aceto dilueres? E. Indè charta perflueret. F. Qui scis? E. Audivi de quodam Magistro, qui me docebat scribere. F. Ego verò aliud audivi magis mirum. E. Narra mihi sodes. F. Quid mihi dabis? E. Bonam aciculam. F. Audi igitur, quod didici ex quodam Pædagogo meo: Atramentum, quod aceto liquefactum est, ægrè eluitur. E. Fieri potest: sed interim da mihi parum in usum præsentè. F. Tene atramentarium tuum benè apertum, ego infundam tibi. E. Ecce, infunde! Vah, quàm liquidum est! F. Fortasse quia non est gummi satis. Sed quàm decolor? E. Utere, si vis, quale est: non enim habeo melius. F. Quid igitur faciam? E. Hem, inepte! non potes pennâ tuâ miscere? F. Miscui satis; quid possem præterea? E. Infunde rursus in cornu meum. F. Admove propiùs; est-ne satis? E. Comprime linteolum. F. Ita compressi, ut ferè sit aridum, quid erit tandem? E. Atramentum bonum, aut certè mediocre. F. Bona est mediocritatis regula, ut ex Præceptore didicimus. Sed nunquid ex duabus malis rebus confici potest aliquid boni? E. Ubi miscuero, & tibi rursus infudero, videbis experimentum. F. Ardeo istud videndi desiderio. E. Porrige nunc atramentarium tuum. F. Ecce, infunde! Ohe, jam satis est! quæ isthæc est profusio? plus mihi dedisti, quam tibi retinueris. E. Commisce iterum etiam atq; etiam. F. Nunquam

posset coquus sua jura & condimenta melius confundere. E. Jam tandem facito periculum. F. Dicta mihi aliquam sententiam, ut interim discam aliquid. E. Experientia, ut vulgo dicitur, est rerum magistra: habes? F. Dicto citius. E. Videlicet jam pridem tenebas. F. Quis illud ignoraret, quod est adeò vulgare? E. Nunc videamus. F. Res apparebit melius, ubi scriptura benè desiccata fuerit. E. Quid vis expectare? jam sicca est plus satis. F. Oh, vide, quàm nigra sit! E. Dixinè verè? Aliquando periculum feceras, scilicet. E. Constabit igitur, experientiam esse rerum magistram. F. Quin etiam hinc experimur, ex rerum commistione bonum fieri temperamentum. E. Jam incipis altius philosophari. Itaque discedo. F. O longum sermonem de nihilo! E. Nihil me pœnitet: alioqui inerti otio torpebamus.

XXXIII.

De emptione chartæ. Auctarium in emptione.

Suam quisque utilitatem curat.

EUSTATHIUS. FONTANUS.

A Quo emisti istam chartam? F. à Fatino. E. Estnè bona? F. Melior, quàm ista tua, ut opinor. E. Nihil miror. F. Cur istud dicis? E. Quia fortasse carior F. Nescio. E. Quanti emisti scapum? F. Solido & semisse: tu verò quanti? E. Solido & pluris. F. Quanti igitur? E. Quinque quadrantibus. F. Non malè profectò emisti. E. Quin etiam mercator dedit mihi auctarium. F. Quodnam, quæso? E. Schedam chartæ bibulæ. F. O me imprudentem qui oblitus sum petere! E. Ego ne petivi qui-

quidem, sed ultrò ille dedit. Et hoc (inquit) addo tibi, ut me revisas. F. Sic solent emptores allicere. E. Nec mirum: suum quisque commodum quærit. F. Sed quid agimus hodierni pensi immemores? E. Exiguum est: satis temporis nobis restat.

XXXIV.

Quidam ex provectis dissimulanter recusat puero chartam in libellum compingere: sed oblatâ occasione, de minutis rebus cum illo fabulatur, ut eum sic in Latinâ linguâ exerceat. Eâdem operâ, ut puer charitatis exemplum discat, compingit ei libellum chartaceum. Postremò illum paucis & brevibus præceptis instituit.

Exemplum dissimulationis in bonum.

GERVASIUS. FONTANUS.

ROgo te, Gervasi, compinge mihi hanc chartam. G Quid me rogas? non est ars mea. F. Et tamen sæpe compingis aliis. G. Quod habes schedas? F. Octo, sed jam sunt complicatæ: tantùm restat insuere membranæ. G. Quid dabis, si tibi compegero? F. Nihil habeo, quod possim dare, nam pecunia mihi nulla est. G. Ergo quære tibi alium opificem, non enim gratis faciam. F. Mi Gervasi, tu es tàm bonus, denegabis mihi rem tantillam? G. Scin tu, quid habet proverbium? F. Quod proverbium dicis? G. Manus manum fricat. F. Quid hoc sibi vult? G. Da aliquid, si quid velis accipere. F. Si quid haberem, certè darem libenter. G. Cedò merendam tuam F. Merendam, ah me miserum! quid ederem? mallem dare pileum, si auderem. G. Merenda tua parva res est. F. Sed vehementer esurio. G. Quid causæ est? F.

Quia nihil prandi, nisi frustum panis, & tres aut quatuor juglandes. G. Ehò, quid causæ fuit? F. Quia mater domo abierat. G. Quis ergo tibi dedit merendam? F. Ipsa. G. Atqui dicebas, eam abfuisse. F. Verum est: aberat enim tempore prandii: nec rediit, nisi paulo ante merendam. G. Nihilnè edisti domi, antequam in ludum venires? F. Nihil. G. Cur non? F. Quia timebam non adesse in tempore. G. Tintinnabuli sonitus te satis admonere debet. F. Sed rarò audimus à nostris ædibus. G. Quid ita? F. Quia longè nimis ab hac schola distant. G. Suntne vera ista omnia, quæ mihi narras? F. Vera profectò, Gervasi. G. Age, da mihi tuam chartam, ego tibi compingam elegantem libellum: tu interim ede merendam tuam. F. Ego petam à matre sextantem, quem dabo tibi. G. Cave petas, nihil volo, quin potiùs darem tibi, si egeres. F. Ago tibi gratias. G. Nonne putabas, me seriò petere abs te merendam? F. Profectò sic putabam. G. Atqui dicebam joco. F. Quamobrem? G. Ut paulisper audirem te Latinè fabulari. Nam quod benè discas, gaudeo. Quanti emisti chartam hanc? F. Dedi pro codice assem cum semisse. G. Non emisti malè, bona est: sed non recte complicasti. Habes membranam? F. Ecce tibi? G. Benè res habet: ego citiùs confecero, quàm tu merendam perederis. F. Habebo tibi maximam gratiam, mi Gervasi. G. Honestè loqueris: sed memento, fili, ut semper vivas in timore Domini: diligenter obedias matri: sis frequens in scholam; diligens in studio: ne versèris cum pravis ac dissolutis: denique

nique, quibus poteris benefacito, quomodo vides me feciſſe tibi: intellexiſtin'? F. Optimè. G. Fac igitur, ut ſæpe recorderis. F. Faciam, DEO volente. G. Ede nunc otiosè.

XXXV.

Duo pueri de uſu chartarum pueriliter diſputant.

GERVASIUS. HERMINIUS.

UNde venis? H. Foris. G. Quid prodieras? H. Ut emerem chartam. G. Emiſtine? H. Emi. G. Quantum emiſti? H. Scapum. G. Quanti? H. Quinque quadrantibus. G. Cujus formæ? H. Minoris. G. Oſtende. H. Vide, num bona ſit. G. Bona eſt profecto, in quem uſum emiſti? H. Ineptè quæris, quis eſt chartarum uſus, niſi ad ſcribendum? G. Imò alius. H. Quis, cedo? G. Ad merces involvendas. H. Intelligebam de charta ſcholaſtica, non de emporetica, non enim ſum mercator. G. Utimur enim charta ad ſiccandam recentem ſcripturam. H. Satis ſcio, ſed charta illa eſt bibula. G. Et tamen charta eſt. H. Eſto. G. Ergò multiplex eſt chartæ uſus, etiam in ſchola. H. Cogor fateri. G. Etiam dicam tibi alium uſum, & quidem in Scholâ frequentiſſimum. H. Quem? G. Non auſim dicere ſine præfatione honoris? H. Quid opus eſt inter nos honorem præfari? non enim verba fœtent. G. Dicam igitur, quando ita vis. H. Dic liberè. G. Ad tergendas nates in latrina. H. Illuc non feruntur chartæ puræ, ſed jam ſcriptæ, eæque inutiles. G. Quid tum? chartæ ſunt tamen. H. At ego de charta pura & nova loquebar. G. Sed interim victus es. H. Sic ita ſanè, non me pœnitet diſputatiun-

tiunculæ hujus noſtræ. G. Sed jam à luſu diſcedítur. H. Et nos ergo loco cedamus.

XXXVI.

Charta mutuò data repoſcitur.

Prudentis eſt, priùs referre in codicem expenſi, quàm aliquid credere, ſive dare mutuo.

HERMANNUS. JULIUS.

MEminiſtin' me tibi nuper dediſſe chartam mutuò? J. Quidni meminerim? non adeo ſum oblivioſus. H. Quot erant ſchedæ? J. Quatuor. H. Cur non reddidiſti? J. Exſpectavi, dum haberem codicem. H. Habuiſtine tandem? J. Tantùm hodie. H. Unde nactus es? J. Petivi à Præceptore. H. Ubi? J. In Bibliothecâ ejus. H. Quid ille, deditne libenter? J. Miſit me ad hypodidaſcalum, qui ſtatim dedit codicem. H. Non ante in ſuum codicem detulit? J. Nihil dare ſolet, quin prius inſcribat. H. Audivi ex patre, id eſſe viri prudentis. J. Præſertim, ſi reddenda eſt ratio. H. Sed quibus indiciis dare tibi auſus eſt? J. Oſtendi illi manu meâ ſcriptum in libello meo, ſic enim, ut ſcis, facere ſolemus. H. Reddes ergò mihi mutuum. J. A prandio ſtatim, ne dubites.

XXXVII.

Ludovicus Michaeli vult dictata deſcribere: Michael permittere non audet, ne à Præceptore arguatur.

Nec fallendum, nec mentiendum eſt. Præſtat puerum timidiorem eſſe, quàm audaciorem.

LUDOVICUS. MICHAEL.

QUid agis? M. Scribo. L. Quid ſcribis? M. Deſcribo dictata Præceptoris. L. Quænam? M. He-

Hesterna. L. Quid non aderas? M. Imò aderam: sed non poteram magistrum dictantem assequi. L. Quæ res te impediebat? M. Quòd satis commodè non sederem. L. Veneras ergò serius? M. Illud est. L. Cedo commentarium tuum, egomet tibi scribam. M. Quid faciam lucri? L. Ego citius, quàm tu, descripsero: post ludemus unà, ut concessit Præceptor. Da, inquam, libellum tuum. M. libenter id quidem facerem, sed non audeo. L. Quid times? M. Edictum Præceptoris. L. Quod mihi edictum narras? M. Nescis, eum vetuisse, ne quis sine permissu ejus alteri scribat? L. Id ego probe memini: sed unde hoc sciet? M. Rogas? quum emendandi causâ, scripturæ rationem exigit, tum captus ero: novit enim manum meam. Præterea neque fallendum est, neque mentiendum. L. Verbo DEI utrumque vetatur. M. Quid ergo responderem Præceptori, quum ille negaret, me ista scripsisse? L. Non eo res evadet, spero. M. Nolo tuâ spe tantum subire periculum. L. Vah! nimium timidus es: nunquam rem facies. M. At tu forsitan audacior. L. Tu igitur scribe, quantum voles; ego ad ludendum me confero. M. Abi quæso: jam unam paginam descripsissem, nisi me interpellasses. L. Interim aliquid proficimus, dum Latine fabulamur.

XXXVIII.

In hoc colloquio quæsita est colloquendi materia ex simulato ludendi prætextu.

Exemplum bonæ indolis puerorum, ubi alter benè monet, alter paret sine controversiâ.

NO-

NOÆUS. OLIVARIUS.

SAlve Olivari. O. Tu quoque salvus sis, Noæe. N. Ludamus pauliſper? O. Quid ais, ineptule? vix ſcholam ingreſſus es, & jam de ludo loqueris? N. Ne iraſcaris, quæſo. O. Non iraſcor. N. Quid ergo ſic exclamas? O. Accuſo tuam ſtultitiam. N. Non licet igitur ludere. O. Imo licet, at quum tempus eſt. N. Vah nimiùm ſapis! O. Utinam tantùm ſaperem ſatis, ſed mitte me quæſo ut repetam, quæ mox reddenda erunt Præceptori. N. Æquum dicis, volo ego quoque tecum repetere, ſi tibi placet. O. Eho, quid hoc eſt? quid ſibi vult iſta tàm ſubita mutatio? nonnè tu modo loquebaris de luſu? N. Loquebar quidem, ſed non ſerio. O. Cur ſimulabas? N. Ut paucis tecum fabularer. O. Quid illud prodeſt? N. Etiam rogas? nunquam audiviſti ex Præceptore? O. Nunc mihi non occurrit; quid, inquam, prodeſt confabulari? N. Ad nos in latinâ linguâ exercendos. O. Profectò recte putas, & ego te nunc magis amo. N. Habeo tibi gratiam. Age repetamus prælectionem, nam brevi Præceptor aderit.

XXXIX.

Invitatio ad animum relaxandum.

Corporis exercitatio confert valetudini.

OLIVARIUS. PAULUS.

VIsne venire mecum? P. Quò properas? O. Ad lacum P. Quid eò? O. Lotum pedes. P. Iſanè, nunc lotione mihi opus non eſt: ſed interim parùm fabulabimur. P. Ne fabulari quidem nunc velim. O. Atqui utilis eſt confabulatio, duntaxat de

de honestis rebus. P. At mihi utilior est ad valetudinem exercitatio corporis. O. Quid si manfero tecum? P. Prudenter facies: & nos pilâ palmariâ colludemus. O. Benè vertat DEus, maneo. P. Aliàs lotum una tecum ibo: quum scilicet longius erit temporis spacium. Ad ludum nos accingamus. P. Nulla est in me mora. XL.

Invitatio ad ambulationem lusionis loco.

Dei opera invitare debent ad eum imitandum.

PAULUS. QUINTUS.

JAmdudum tædet me toties repetere lusus scholasticos. Q. Quid facies igitur? P. Eamus in hortum nostrum. Q. Quid agemus? P. Ambulabimus, colloquemur, DEI beneficia in ejus operibus commemorabimus. Q. Nihil sanè jucundius: sed interim petenda esset à Præceptore venia. P. Jam impetravi mihi, & item uni, quem vellem ducere. Q. Benè res habet, eamus, ducente DEO. P. Precor, ut nos custodiat. Q. Ego quoque idem precor tecum. XLI.

Invitatio ad lusum. Eventus ludi.

Quicquid nobis accidit, est boni consulendum. Ditare aliquem solius est Dei. Spe lucri non est ludendum. Ethnicorum doctrina de fortunâ. Admonitio careat odio & invidia. Solus DEus est cordium scrutator. Exemplum admonitionis mutuæ.

QUIRINUS. RUFUS.

UBi sunt juglandes tuæ? R. De quibus loqueris juglandibus? Q. Quas hodie ex præmio accepisti. R. Ubi sint, rogas? quasi verò tibi servare debue-

debuerim. Q. Non sic intelligo: sed quæro, quid feceris. R. Edi in merendâ Q. Edisti miser? cur potiùs non servâsti ad ludendum? R. Edere malui, quàm perdere. Q. Non poteras perdere, nisi duodecim. R. Fateor. Q. Quod si fors tulisset, potuisses ducentas aut fortasse plures lucrifacere. R. Dubius est, (ut vulgò dicitur, ludi eventus. Q. Quid tum? ubique parati esse debemus in utramque partem, & boni consulere, quicquid nobis evenerit. R. Istud ego scio: sed non sum admodùm ludendi peritus, in eo genere. Q. Abi, nunquàm rem facies. R. Nemo rem facit, nisi Deo volente: nec ego ditari ex ludo velim. Q. Ergò, ut video, quærendus est mihi collusor alius. R. Nihil sanè impedio. Sed mane parumper. Q. Quid vis? R. Quid tu vocas sortem, de quâ hic mihi mentionem feciſti? Q. Ipsam fortunam. R. Quid autem est fortuna? Q. Stultorum opinio. R. De fortunâ quid opinantur stulti? Q. Nunc mihi non vacat de hoc tibi respondere; sed vide annotationem Præceptoris in Catonem. R. In quem locum? Q. In illum versiculum: *Indulget fortuna malis, ut lædere posſit.* R. Ut video, non ignoras, quid sit fortuna. Q. Satis scio, fortunam nihil esse. R. Cur ergò dixisti, quod si fors tulisset? Q. Excidit mihi sic loqui ethnicorum more. Nam eorum libri (ut sæpè docet Præceptor) pleni sunt ejusmodi impiâ doctrinâ. R. Nihil mirum: nempè illi veram DEI cognitionem non habuerunt. Q. Sed audi, mi Rufe, si vis ampliùs disputare, quære tibi alios disputatores, nam mihi nunc serio ludendum est:

volo

volo tamen priùs te viciſſim admonere. R. O quam gratum mihi feceris! Q. Nonne tu dixiſti hæc verba: dubius eſt ludi eventus? R. Fateor me dixiſſe: ſed præmunivi. Q. Quomodo iſtud intelligis? R. Addidi enim hæc tria verba: ut vulgò dicitur. Q. O aſtutam vulpeculam! os occluſiſti mihi. Sed hæc inter nos, ſine odio aut malevolentia, dicta ſint. R. Novit Deus utriusque animum. Q. Eſt enim ille ſolus cordium ſcrutator. Sed quid tu? vis hic ſolus otio torpeſcere? R. Cogito; quo luſu me exerceam. Q. Quaſi verò ſit diutiùs cogitandum. Age, ſequere me, dabo tibi mutuò juglandes. R. Amicè nunc loqueris: ſed quando reddam? Q. Ad Calendas Græcas: ſi non potes citius. R. O feſtivum caput? eamus.

XLII.

Invitatur ad luſum quidam, at ille ſtudium præfert luſui.

Exemplum rarum pueri ſtudioſi. Omnia tempus habent, utendum remiſſionibus in tempore.

RUFUS. STEPHANUS.

QUâ de re ſic elatus es lætitiâ? S. Pater meus advenit modò. R. Quid meâ refert? S. Imò plurimum, quia nobis impetravit ludendi veniam. R. Ain'tu? S. Vide pueros jam ludentes in area. R. Ludant ſanè alii: ego ſtudere malim, quam ludere. S. Nec minùs ego, ſed in tempore. Nam, ut eſt in Proverbio (*Omnia tempus habent.*) Undè & nos rectè monet Cato noſter:

Interpone tuis interdum gaudia curis.
Ut poſſis animo quemvis ſufferre laborem;

R. Vera sunt, quæ dicis, fateor, sed interim omitte me, ut serio studeam. S. Per me studeas licet, nihil impedio, at ego hâc utar occasione. R. Utere sanè.

XLIII.

Stephanus & Torquatus parant se ad ludendum pila palmaria.

STEPHANUS. TORQUATUS.

IMpetrâstis ludendi facultatem? T. Impetravimus. S. Ad quod usque tempus? T. Ad cœnam usque. S. Qui dederunt versûs? T. Primi & secundi. S. Quid cæteræ classes? T. Primus quisque decurio trium proximarum classium pronunciavit unam è sacris literis sententiam. S. Nonnè precati estis, ut solemus? T. Precati, & quidem præsente ludimagistro: tu verò ubi eras? S. Iveram domum à matre accersitus. T. Nunc igitur quid agere cogitas? S. Ludere sesquihoram, deinde ad studium me recipere. T. Vin' tu, tibi sum collusor? S. Quidni velim? T. Quo lusu nos exercebimus. S. Nullus est mihi jucundior pilâ palmariâ. T. Nec mihi quidem. S. Visamus igitur, an cæteri partes sortiti sint, nam si soli luderemus, minùs esset voluptatis. T. Visamus sanè.

XLIV.

Non solùm nobis nati sumus, sed alius alium sollicitus curare debet in tempore.

Exemplum tempestivæ admonitionis.

TORQUATUS. VINCENTIUS.

QUid cogitas Vincenti? cave tibi, obsecro. V. Quid mihi cavebo? T. Ne in morbum incidas,

cidas. V. Quâ ex causâ ? T. Ex nimia luſus intemperantia. V. Unde apparet periculum ? T. Quia totus æſtuas, totus ſudore mades. V. Rectè & in tempore admones : profecto non ſentiebam. T. Deſiſte, ſi me audis. V. Audio verò libenter, ac tibi morem gero; quis enim reſpuat tam fidele conſilium ? T. Deterge faciem ſudariolo, & indue te celeriter, ne ſubitum frigus contrahas. V. Habeo tibi gratiam, nam ferè morbis ſum obnoxius. T. Quid eſt cauſæ ? V. Infirmitas meæ valetudinis, vides enim, quàm imbecillo ſim corpore. T. Tanto magis debes tibi cavere. V. Iſtud probè novi, & parens uterque me monet ſæpiſſimè, ſed quid ages ? naturâ proni ſumus in noſtram perniciem. T. O mi Vincenti, non eſt voluptati ſerviendum, ſed temperantiâ valetudini conſulendum. V. Eſt in promptu carmen Catonis in eam ſententiam. T. Teneo, ſed de his alias. Jam ſatis indutus es : non eſt, quòd hic morêre diutiùs. V. Vale Torquate, monitor amiciſſime. T. Vin'tu, ut domum te deducam ? V. Nihil opus eſt deductione, ego bellè me habeo, Dei beneficio. T. Mi Vincenti, cura, ut valeas,

LIBER TERTIUS.

DE

MORIBUS,

ALIISQUE

EXTRA LITERARUM STUDIA

ACTIONIBUS.

COLLOQUIUM I.

Sub præcepto de parentum obedientiâ continentur omnes, qui nobis præsunt.

Contentiones vitandæ.

ADAMUS. ÆMILIUS.

NEscis vetitum esse, ne submisse loquamur inter nos? Æ. Quidni scirem? quum Præceptor tàm sæpe nobis inculcet ejus rei causas? A. Cur igitur modo faciebas contrà? Æ. Quia Isaias ita me cœperat alloqui. A. Quid tum? debuisti illum admonere: non imitari! Æ. Debui, sed nunc mihi non venit in mentem. A. Sed interim notandus es. Æ. Minimè verò, nisi vis esse ipso Præceptore severior. A. Dic mihi causam. Æ. Quia Præceptor vetat quempiam notari, qui sponte delictum agnoverit; modo ne tale sit factum, quod verbo DEI interdictum sit. A. Nonnè à Deo præscriptum est, ut parentibus obediamus? Æ. Illud est quartum Decalogi præceptum. A. Atqui, ut habemus in Catechismo, præceptum illud patet latiùs, nam parentum nomine Præceptores complectitur & Magistratus, denique omnes, quibus Deus ipse nos subjecit. Æ. Non equidem nego, vera esse, quæ narras, sed malo Præcepto

ceptorem consulere, quam tecum disputare, alioquin in majus malum me induceres, quod est contentionis vitium, multò magis à Præceptore vetitum. A. Æquum dicis, memineris igitur Præceptorem admonere, quum rationes à nobis exigit. Æ. Ne putes, me obliturum, præsertim, quum mea res agatur.

II.

Duo ad tonsorem euntes colloquuntur.

Nemo gaudet, se adiri intempestivè.

CORNELIUS. CYPRIANUS.

QUònam is tam celeriter? Cyp. Ad tonsorem. Cor. Ego quoque unà tecum. Cyp. Rogâsti veniam? C. Non rogavi, sed tantisper exspecta me, dum eo rogatum. Cyp. Festina igitur. Cor. Mox rediero. Redii: eamus nunc jam. Cyp. Quo vultu te Præceptor excepit? Cor. Hilari sanè. Cyp. eodem me quoque acceperat. Cor. Non solet irasci nobis, nisi illum adeamus intempestive. Cyp. Quotus quisque id non ægrè fert? Cor. etiam nos, qui pueri sumus, sæpiùs irascimur condiscipulis, quum studia nostra, quantulacunque sunt, interpellant. Sed jam desinamus, optimè tonsorem ante officinam video. Cyp. Euge, nulli sunt, exspectantes, ita fiet, ut minus diu moremur.

III.

Daniel & Dionysius colloquuntur de matrimonio.

Adolescens doctus & benè moratus. Puella benè instituta. Exemplum prosperi conjugii.

DANIEL. DIONYSIUS.

EUge, audivi, sororem tuam nupsisse. Dion. verum

rum audisti. Dan. Quis est maritus ejus? Dion. Quidam civis Lubecensis, honestis parentibus progenitus. Dan. Estnè dives? Dion. Sic habetur: sed tamen pater meus hæc longè pluris facit: primùm, quòd ille sit benè moratus adolescens, deindè, quòd non solùm doctissimus, sed etiam bonarum literarum amantissimus, denique, quòd verus Dei cultor, & Christianæ religionis summus observator. Dan. Mihi narras egregios adolescentis titulos. O felicem sororem tuam, quæ Dei beneficio talem virum nacta est! Dion. Felicem sanè non absre dixeris, siquidem bonum illud perpetuò sic agnoscat, ut semper meminerit, ex Dei bonitate profectum esse, ob idque immortales agat eidem gratias. Dan. Credo, id facturam. Dion. Ita spero quidem: sic enim à parentibus semper instituta est in doctrina Christiana. Sed me jam aliò revocant domestica negotia. Ergò vale, mi Daniel. Dan. Tu quoque benè vale, suavissime Dionysi. Dion. Nunquid vis? Dan. Ut verbis meis dicas salutem plurimam tuis omnibus: præcipuè patri matrique & ipsi novæ nuptæ: meque illi gratulari faustum illud conjugium. Dion. Ego verò id faciam, & quidem libentissimè.

IV.

Docti adolescentis colloquium cum puero mediocriter provecto.

Admonitio ad præstandum mutuas operas. Precatio. Quid pueris agendum, quum manè surrexerint. Deus agnoscendus est adjutor. Spes certa in Deum neminem frustratur. Philosophi Ethnici

nici multa verbo divino consentanea dixerunt.

EMERICUS. EZECHIEL.

QUotâ hora surrexisti hodie? Ez. Paulò ante quintam. Em. Quis te expergefecit? Ez. Nemo. Em. An cæteri jam surrexerant? Ez. Nondum. Em. Non ivisti illos excitatum? Ez. Non ivi. Em. Quamobrem? Ez. Nescio, nisi quia non putabam illud ad me pertinere. Em. An non te illi excitant interdùm? Ez. Imò sæpissimè. Em. Debuisti igitur similiter facere. Ez. Debui, fateor. Em. Memento igitur, ut posthàc facias. Ez. Meminero, Deo juvante. Em. Sed quid tu fecisti? ex quo surrexisti è lecto? Ez. Primum flexis genibus precatus sum patrem cælestem: in nomine filii ejus Domini nostri Jesu Christi. Em. Factum bene, quid posteà? Ez. Deindè ornavi me, & curavi corpus mediocriter, ut Christianum decet: postremò ad quotidiana studia me retuli. Em. Si perges sic facere, ne dubites, quin Deus tua juvet studia. Ez. Adhuc me semper juvit, quæ est ejus benignitas nec me (ut spero) derelinquet. Em. Rectè loqueris, nec ille spem tuam frustrabitur. Ez. Anno superiore didici in Catone: *Spem retine, spes una hominem nec morte relinquit.* Em. Quod retinueris, bene fecisti: est enim egregia sententia, & homine Christiano digna. Ez. Atqui auctor ejus libri non fuit Christianus. Em. Non fuit: certa res est. Ez. Unde igitur sumpsit tot pulchras sententias? Em. Maximè ex Philosophis Ethnicis. Nam & ipsi divino Spiritu illuminati plurima dixerunt, quæ sunt verbo Dei consentanea, quod tu quoque

videre aliquando poteris, si literarum studium prosequere. Ez. Ego prosequar, ut spero, dummodò ipse Deus det patri meo vitam longiorem. Em. Precare diligenter & ex animo, ut illud contingat. Ez. Quotidiè id precor sæpè. Em. Det tibi Dominus Deus in omni opere bono perseverantiam. Ez. Quod mihi optas, idem tibi precor, & gratias ago, quòd me tàm fraternè monueris.

V.

Admonitionem bonam puer bonus in partem bonam accepit, gratias habet monitori.

FRANCISCUS. FERBERIUS.

QUid feciſti regulâ meâ? Fer. Reliqui in pergulâ ſuperiore. Fr. Cur eam reliquiſti? Fer. Oblitus ſum. Fr. Non rectè factum: ſed tu ſic fere ſoles, ſi quid tibi fuerit commodatum. Fer. Piget me negligentiæ meæ. Fr. Non ſatis eſt dolere, niſi mores mutare velis. Fer. Deum precabor, ut mihi mutare velit. F. Si ſapis, alioqui nemo tibi poſthàc commodare volet. Fer. Habeo gratiam, quòd me tam amicè monueris. Fr. I nunc repetitum meam regulam, eſt enim eâ mihi opus, ad ducendas in chartâ lineas. Fer. Nunc eo. Fr. Refer ad me, in cubiculum. Fer. Mox habebis.

VI.

Gabriel Germanum Chriſtianè & humaniter admonet: eidem benè ultrò facit.

Charitas. Verecundia in petendo. Liberalis in dando petere quoque non dubitat.

GABRIEL. GERMANUS.

MIſeret me tui. Ger. Quid ita? G. Quòd pennâ

nâ tuâ tam miſere abutaris. Ger. Quomodo abutor? Gab. Quia peſſimè tractas in acuendo. Ger. Non eſt culpa mea, ne quid erres. Gab. Cujus igitur? Ger. Scalpelli mei, cujus acies obtuſa eſt. Gab. Scalpellum in culpâ non eſt, ſed tu ipſe. Ger. Cur iſtud dicis? Gab. Quia debuiſti vel ſcalpellum tuum acuere, vel aliud aliunde rogare commodatò, ſaltem ad præſens negotium. Ger. Non audeo petere. Gab. Quid times? Ger. Ne mihi denegetur. Gab. Ecce tibi meum! Ger. Gratias ago. Gab. Utere, quantum voles, ſed rectè. Ger. Sciens non abutar. Gab. Nec ſis poſthàc tàm verecundus in petendo. Ger. Sic eſt ingenium meum: ſoleo dare libentius, quàm petere. Gab. Utinam multi eſſent tui ſimiles! ſed tamen, qui libenter dat beneficium, is petere quoque liberè poteſt. Sed ego te nimis detineo, Perfice, quod cœperas.

VII.

Admonitus monitorem viciſſim monet.

Suſpectus caveas, ne ſis miſer omnibus horis: Nam timidis & ſuſpectis aptiſſima mors eſt. In ſuſpicioſos.

HENRICUS. HERMES.

CUr ſolus rides? Herm. Quid tuâ? Henr. Quia fortaſſe rides me. Herm. Undè tibi orta eſt iſta ſuſpicio? Henr. Quia malus es. Herm. Omnes quidem mali ſumus: at ego tè pejor non ſum. Nemo igitur ridet, niſi aliquem irrideat? H. Non ſic intelligo: ſed qui ſolus ridet (ut ſæpe audivi) aut ſtultus eſt, aut aliquid mali cogitat. Herm. Iſta ſententia cujus ſit, neſcio? ſed cujuscunque

sit, non est perpetuò vera: tamen admonitionem tuam in bonam partem accipio, teque moneo vicissim, ut caveas suspicioſus esse. *Nam timidis & suspectis aptissima mors est*: ut est in morali nostro carmine. Henr. Memini: boni tamen consulo admonitionem tuam.

VIII.

Israel Josuam monet, ne sit curiosus alienarum rerum percontator.

Horatius: percontatorem fugito nam garrulus idem est, nec retinent patulæ commissa fideliter aures. Exemplum in percontatores.

ISRAEL. JOSUA.

UNde venis? J. Domo. I. Quid agitur domi vestræ? J. Nihil tuâ refert. I. Fateor, sed familiares sic rogare fere solemus, perindè quasi rogemus, ut valetis? quomodo se vestræ res habent? J. De re alienâ nimium percontari non decet. I. Taceo? sed videris mihi pro ætate nimis sapere. J. Nihil meum dico, id audivi sæpè. I. Ego quoque non semel audivi. J. Cur ergò non uteris? I. Quia non semper in mentem venit. J. Immò, quia tu es percontator: quæ res non sine causa datur vitio. I. Habeo gratiam, quòd me adeo amicè moneas: posthac, adjuvante Deo, cavebo ineptus esse. J. Ita paulatim sapies.

IX.

Lambertus cum Leonardo mictum ire cupiens confabulationis ergò ab eo reprehenditur.

LAMBERTUS. LEONARDUS.

VIs venire mictum? Leon. Satis otioſe minxi.

Lamb.

Lamb. Eamus una, quæso, ut parum fabulemur. Leon. Tace, inepte, nisi vis accusari: non est fabulandi tempus. Nonne debuisti mejere, quum jentaretur? Lamb. Debui: sed oblitus sum. Leon. Ito igitur solus cum bona venia Præceptoris, nec sis posthac tàm oblivioſus. Lamb. Parebo tibi, & meminero.

X.

Marcus officium petit à Menardo: hic occupationem causatus bellè denegat: alter non urget ulterius.

Exemplum modestiæ, tùm in petendo, tùm in denegando.

MARCUS. MENARDUS.

VIsne mihi describere prælectionem. Men. Cur non habes? Marc. Quia hesterno die fui occupatus. Men. Accipe librum meum, & describe. Marc. non ignoras, me lentius scribere: & tu citius totum descripseris, quàm ego quatuor aut quinque versiculos. Men. Quære tibi alium scriptorem: nunc ego tibi non possum dare operam. Mar. Cur non? Men. Est mihi aliud negotium, idemque perneceſſarium. Marc. Nolo te urgere, nec possum quidem: sed saltem commoda tuum codicem. Men. Accipe, utere, ut libet, modò ne abutare. Marc. Nihil est, quod hic verearis.

XI.

Quidam domum profecturus paulo ante vindemiam promittit amico, se curaturum, ut & ille eodem accersatur.

Exemplum puerilis amicitiæ.

PHILIPPUS. PLANTINUS.

Quan-

QUando profecturus es domum ? Pl. Cras, DEO juvante. Ph. Quis juſſit ? Pl. Pater. Ph. Quando autem juſſit ? Pl. Ad me ſcripſit ſuperiore hebdomade. Ph. Quo die literas accepiſti ? Pl. Die veneris. Ph. Quid continebant præterea literæ ? Pl. Omnes rectè valere, & proximis diebus initium fore vindemiæ. P. O fortunatum, qui vindemiatum properas ! Pl. Vis dicam patri meo, ut te accerſat ? Ph. Quam gratum mihi faceres ; ſed vereor, ut nolit. Pl. Immo gaudebit, cum propter noſtram conjunctionem, tùm verò quia & Latinè colloquendo nos exercebimus, & de ſtudiis unà interdum conferemus. Ph. Ohe ! gaudio totus exſilio ! amabo te, id cura, mi animule. Pl. Senties. Interim DEum precemur, ut dicta & conſilia noſtra vertat in gloriam ſui nominis. Ph. Benè mones, & certe ita expedit facere.

XII.

Richardus à Rogerio eunte domum petit ſibi uvas adferri.

Exemplum puerilis deſiderii.

RICHARDUS. ROGERIUS.

SIſte parumper gradum. Rogeri, quò properas ? Rog. Rectà domum. Rich. Quid eò ? Rog. Mater vult me paucis convenire. Rich. Neſcis, quamobrem ? Rog. Neſcio, niſi fortè, ut veſtimenta hyberna mihi facienda curet. Rich. Iſtud eſt veriſimile, jam enim inſtat hyems. Rog. Jam viſa ſunt gelicidia, & glacies etiam alicubi. Rich. His diebus vidi in foro montanos quosdam, qui dicebant, magnam vim nivium decidiſſe ſuperiori

riori hebdomade, quum hic interea lentas pluvias tantùm videmus. Rog. Ego quoque id ipsum audivi domi nostræ ex rusticis, qui triticum nobis advexerant. Sed cogor abrumpere sermonem, ne mihi iraſcatur mater. Rich. Sed heus tu, mi Rogeri, adfer mihi domo aliquot uvas, nam amplissima fuit vobis vindemia. Rog. Adferam, ut spero, utrique nostrûm affatim: nisi quid fortè mater irata est mihi. Rich. Istud avertat DEus.

XIII.

Dives ex occasione pauperi opem pollicetur.

Deus hominum operâ nos nec opinantes juvat. Deus afficit animos ad benê agendum. Deus hominum affectûs gubernat. Exemplum insigne charitatis erga pauperes.

TITUS. TULLIUS.

QUid hic solus cogitas? Tul. Meam deploro miseriam. Tit. Quænam te afficit miseria? Tul. Heu (me miserum!) ecce, mutavimus classem: nec est mihi pecunia, undè libros emam. Tit. Annon tibi dat pater? Tul. Dat quidem interdum, sed parce nimis. Tit. Est igitur avarus. Tul. Non sequitur. Tit. Quid igitur impedit, quò minùs tibi pecuniam suppeditet? Tul. paupertas: præterea, quum peto, miratur, tot nobis opus esse libris. Tit. Nihil mirum, præsertim quum sit pauper: sed interim esto bono animo, nec te afflictes quæso: dabo operam, ut te juvet pater meus, libenter enim largitur pauperibus: præsertim iis, quos novit bonarum literarum studiosos esse. Tul. O me felicem, si tuâ operâ me DEus adjuverit! Tit. juvabit, spero: sed tu interim

interim precare illum diligenter, ut mei patris animum erga te affectum reddat. Tul. Rectè mones. Nam (ut sæpè audivi è sacris concionibus) solus est Deus, qui hominum corda gubernat, ac dirigit. Tit. Ita res habet. Tul. Vale, mi Tite, qui mihi animum reddidisti. Tit. Tu quoque Tulli, vale. Sed dic mihi, quæso: quantum nummorum tibi opus est? Tul. Si duos haberem decusses, abunde mihi esset in præsentiâ. Tit. Tace: cras, ut spero, divinum auxilium senties.

XIV.

Pecunia quum adfertur, nuncium adfertur vulgi opinione jucundissimum.

Reprehensio libera inter familiares. Evangelium, id est, gratia DEI à Christo nunciata: Cur Evangelio non omnes credant.

VALERIUS. VINCENTIUS.

FRater tuus venitnè Francofurto? Vinc. Jam venit heri ante meridiem. Val. Nihilne literarum tibi attulit? Vinc. Nihil. Val. Quid igitur nunciavit? Vinc. Prospera omnia. Val. De patre quid narrat potissimum? Vinc. Ait, illum, DEI beneficio, jam plane febri carere, & paulatim convalescere. Val. Gaudeo sane; Deumque precor, ut pristinam valetudinem brevi recuperet: sed cur ille, ut solet, nihil ad te scripsit? Vinc. Negat frater, eum potuisse scribere. Val. Quamobrem? Vinc. Quia nondum satis erat confirmatus. Val. Nihil mirum, quum tàm diu tàm graviter ægrotaverit: sed ille nihil ad te misit? Vinc. Imò pecuniam. Val. Euge, nullus est jucundior nun-

nuncius! Vinc. Ita ajunt. Val. Tu verò sic respondes, quasi fabulam audias. Vinc. Quin pejus audio. Val. Quidnam? Vinc. Merum mendacium. Val. Egone mentitus sum? Vinc. Non dico, te esse mentitum, sed falsum dixisti. Val. Ego, quid dicas, non intelligo. Vinc. Dabo operam, ut intelligas. Val. Obsecro te. Vinc. Si nullus est jucundior nuncius, quàm de allatâ nobis pecuniâ, quid ergò est Evangelium Christi? quis est jucundior nuncius, quam de gratiâ Dei, quam Christus attulit nobis per Evangelium? Val. Fateor, nihil esse jucundius Evangelio, iis duntaxat, qui credunt ei, & ex animo amplectuntur. Vinc. Equidem sic intelligo. Val. At ego loquebar de humanis & terrenis rebus: tu vero statim ad cœlum ascendisti. Vinc. Ita solent boni concionatores. Val. Non putabam, te esse Theologum tàm acutum. Vinc. Nihil dixi, nisi quod est tritum & in medio positum. Val. Utinam illud adeo vulgare & protritum foret, ut omnes in Christum crederent. Vinc. Nunquam credent omnes. V. Quid prohibet? Vinc. Quia multi sunt vocati, pauci verò electi: sicut Christus ipse testatur. Val. Sed ne te diutius teneam, potesne facere, ut fratrem tuum paucis conveniam? Vinc. Vix possum. Val. Quid ita? Vinc. Nam habet à patre nostro mandata plurima, in quibus curandis totus est occupatus. V. Nonne cœnabit domi, apud vos? Vinc. Cœnabit, opinor. Val. Ibo igitur sub horam cœnæ. Vinc. Veni, precor: & eadem opera nobiscum cœnabis. Val. Non recuso. Vinc. Interim vale:

sed

sed fac memineris adesse tempori. Val. Quotâ horâ? Vinc. Ante sextam. Val. Hora est mihi commodissima.

XV.

De acceptâ pecuniâ & mutuò facilè datâ.

Amicus verus. Exemplum animi ad benè merendum promptissimi.

AMBROSIUS. ANTONIUS.

VEnitnè pater ad mercatum hodiernum? Ant. Hodiè mane convenit me, quum adhuc è lecto surgerem. Amb. Nihil ab eo petiisti? Ant. Imo, pecuniam. Amb. Et numeravit? Ant. In præsentiâ. Amb. Quantum obsecro? Ant. Viginti asses. Amb. Papæ, asses viginti! qui fit, ut audeat tibi tantum pecuniæ committere? Ant. Quia novit me dispensatorem frugi. Siquidem semper illi reddo rationem usqve ad teruntium. Amb. Sed ægrè fortasse impetrâsti. Ant. Imò facillimè, atque adeò cum gratiâ. Amb. O mitem parentem! Ant. Certè mitissimum. Amb. Sed (ut ad rem) quid facies istâ pecuniâ? Ant. Emam libros, & alia mihi necessaria. Amb. Potesnè mihi aliquid mutuò dare? Ant. Possum, si modò eges. Amb. Nisi egerem, non peterem. Ant. Quantum vis à me accipere? Amb. Quinq; asses. Ant. Accipe. Amb. O vere amicum animum! Ant. Amicus verus non est, nisi qui amicum juvat in tempore: si tamen habet, undè juvet. Amb. Amicus certus (ut est in proverbio) in re incertâ cernitur. Ant. Quando reddes mutuum? Amb. Ubi primùm pater in hanc urbem

bem venerit. Ant. Quando venturum speras? Amb. in mercatu proximo, nempe ad octavum Octobr.

XVI.

Benedictus à Baldo pennam commodato petit: hic primò fingit, se commodare nolle: deinde dono dat.

Christi præceptum. Christianus debet Christum Præceptorem imitari. Colloquendi occasio quæsita per simulationem.

BENEDICTUS. BALDUS.

HAbesne duas aut tres pennas? Bald. Sunt mihi tantum duæ. Bened. Da mihi unam commodatò. Bald. Non faciam. Ben. Cur non? Bald. Ne abutaris. Ben. Memineris fortasse: aliquando me frustrà rogabis aliquid. Bald. Atqui jubet Christus, malum bono compensandum. Ben. Nondum istud didici. Bald. Tamen discas oportet, si cupis esse Christi discipulus. Ben. Quid cupio magis? Bald. Disce igitur magistrum imitari. Ben. Discam progressu temporis. Bald. Præstaret nunc incipere, dum per tempus licet. Bened. Nimis urges: nondum complevi annum octavum, ut ait mater. Bald. Semper est benè agendi tempus, sed interim, ne mihi quæso succenseas. Jocabar enim, ut te ad colloquendum invitarem tantisper, dum sumus otiosi. Ecce tibi penna, eaque non omninò pessima. Bened. Reddam tibi statim, quum aliquid descripsero. Bald. Nolo mihi reddas. Bened. Quid igitur faciam? Bald. Quicquid voles, à me enim tibi dono datur. Ben. Gratiam habeo maximam.

Amicus amico pecuniam ultrò offert.

Beneficium voluntarium. Humana beneficia diligentiùs, quàm divina, expendimus. Exemplum liberalitatis rariſſimum.

CLAUDIUS. CLEMENS.

HOdie pecuniam à patre accepi, ſi tibi fortè eſt opus. Cle. Nihil nunc opus eſt mihi, ſed tamen gratiam habeo maximam, quòd tuâ liberalitate ultrò mihi offers beneficium, quotus enim quisque id faciat? Claud. Credo eſſe pauciſſimos: tu me tamen non ſemel beneficiis provocâſti. Cle. Adeò illa parva fuerunt, ut non ſint commemoratione digna. Claud. Non eſt parvum beneficium, quod ab optimâ voluntate profectum ſit. Cle. Utinam Dei erga nos beneficia tàm expenderemus, quàm ſolemus hominum! Claud. Faxit ille, ut in eâ cogitatione nos exerceamus, & ſæpius & diligentius. Cle. Illud profecto neceſſe eſt, ſi volumus ejus benignitatem ſæpius experiri.

XVIII.

Ab amico quidam mutuò aſſem impetrat: obiter mentio fit de providentiâ Dei.

ENNIUS. EUSTACHIUS.

QUantum habes pecuniæ? Euſt. Aſſem cum ſemiſſe, tu verò? En. Non tantum. Euſt. Quantum igitur? En. Unicum aſſem. Euſt. Vis mihi dare mutuò? En. Eſt mihi opus. Euſt. In quem uſum? En. Ad emendam chartam. Euſt. Hodiè reddam tibi. En. Addendum fuit, Deo juvante. Euſt. Sic docet Præceptor ex verbo DEI, ſed

sed non possum assuescere En. Fac assuescas. Eust. Quomodo id fiet? En. Si sæpè cogites, nos à Deo sic pendere, ut nihil possimus sine ejus auxilio. Eust. Bonum mihi das consilium. E. Quale mihi dari velim. Eust. Sed (ut ad propositum redeamus) dabis mutuò istum assem? En. Miror te mutuò petere, qui plus habeas quàm ego. Eust. Est quidam scholasticus hâc transiens, qui librum venalem ostentat. En Quid tùm? Eust. Cupiebam emere, quia vilius indicat, quam noster bibliopola. En. Accipe, sed quæso, undè tàm citò reddes? Eust. A cœnâ ibo domum, ut à matre petam. En. Quid si dare nollet? Eust. Nihil cunctabitur, quum librum ostendero.

XIX.

Hieremiæ Homerus promptissime dat mutuam pecuniam.

Exemplum expromptæ liberalitatis.

HIEREMIAS. HOMERUS.

VIs à me magnam inire gratiam? Hom. Nihil libentiùs fecerim: si quidem penes me res ipsa est. Sed quid est, in quo tibi commodare possim? Hier. Da mihi mutuò asses decem. Hom. Non tantum nunc habeo, sed majorem partem. Hier. Quantum, quæso? Hom. Nescio, nisi crumenam inspexero, ecce tibi octo asses cum semisse. Hier. Solos septem accipio, non enim te vacuare prorsus volo. Hom. Parum refert, totum si vis, accipe. Hier. Ago tibi gratias: credo, hoc pecuniæ satis fore negotio meo cum aliquantulâ, quam ipse habeo. Hom. Ut libet. Hier. Amo-

re, de istâ tàm expromptâ benignitate. Hom. Si quid aliud possim, ne parcas. Hier. Reddam totum, Deo volente, quam primum pater ad me miserit. Hom. Ne sis magnoperè solicitus, nondum est opus mihi.

XX.

Pecuniam creditam reposcit à debitore creditor.

DEus omnia gubernat.

JUSTUS (Creditor,) JACOBUS (Debitor.)

QUoad patris reditum exspectas? Jac. Hinc ad diem octavum. Just. Qui scis diem? Jac. Ipse pater ad me scripsit. Just. Adventus ejus, ut spero, te ditabit. Jac. Crœso ditior ero, si benè nummatus venerit. Just. Tunc mihi mutuum reddes. Jac. Non est, quod dubites, quin si tibi opus erit amplius, non modò reddam mutuum, sed etiam referam gratiam. Just. Quomodo? Jac. Pecuniam mutuam vicissim dabo. Just. Nihil opus erit, spero. Jac. At nescis, quid possit accidere. Just. Tempus est brevissimum. Jac. Non eo dico, quòd tibi velim ominari malum. Just. Quicquid ominentur homines, DEus clavum tenet. J. Sed quid cessamus, recipere nos in auditorium? Just. Oportunè admones.

XXI.

Nicostratum in portum euntem, ut visat, ecquid sibi alimenti advectum sit, comitatur Nicander, idque confabulandi gratia.

NICANDER. NICOSTRATUS.

QUò nunc solis abis? Nico. Semper à versibus aliquid auspicaris, N. Facile est carmen

In-

incipere, deducere non item. Sed dic, quò nunc is? Nico. Rectà in portum. Nic. Quid in portu habes negotii? Nico. Viso, ecquid alimenti mihi advectum sit. Nic. Vis me tibi comitem? Nico. Imò, etiam ducem, si tibi videtur. Nic. Nunquam dux esse didici: sed sæpe egi comitem. Nico. Nihil ad rem pertinet pluribus verbis hic fabulari: eamus una. Nic. Eamus sanè, confabulari licebit ampliùs ambulando in ripâ lacus, si navis nondum appulsa sit. Nico. Quid, si jam sit appulsa? Nic. tamen deambulare satis diu poterimus, dum exoneratur. XXII.

Probo frustum panis petenti abundè dat Puteanus. Probus non allatum panem excusat matris absentia & domesticorum occupatione.

Indulgentiâ sumus deteriores. Deus, omnis boni in nobis auctor, colloquia etiam nostra dirigit.

PROBUS. PUTEANUS.

DA mihi frustum panis. Put. Non habes? Prob. Si haberem, non peterem. Put. Cur non attulisti? Pr. Dicam posteà: sed da interim, quæso. nam esurio vehementer. Put. Cape. Pr. Hui tantillum! Put. Etiam quereris? Pr. Non immerito: das parce nimis. Put. Vide, quantulum restet: dedi verò dimidium. Pr. Ago tibi gratias; dedisti abundè, sed jocabar. Put. Nunc respondè: Cur non attulisti panem domo? Pr. Nemo erat, qui daret. Put. Nemo? Pr. Prorsus nemo. Put. Quid mater? Pr. Aberat domo. Put. Quid cæteri? Pr. Omnes erant occupati. Put. Cur tutè non accipiebas? Pr. Nunquam auderem tale quidpiam.

Put. Cur non? Pr. Mater perpetuò vetat, ne quid attingam, sine permissu suo. Put. Dura mater. Pr. Tuo quidem judicio, qui indulgentiorem habes. Put. Non dico indulgentem, sed certè liberalem. Pr. Quomodo te tractat? Put. Suavissimè, omninoque ex animi sententiâ. Pr. Fortasse in tuam perniciem. Put. Avertat Deus optimus maximus. Pr. Non equidem invideo. Put. Cur ergò illud dicis? Pr. Ut interim te moneam, omnes licentiâ deteriores fieri. Put. Benè facis, sed quid censes; nonne uti licet parentum bonitate? Pr. Certè licet, modò ne abutaris. Put. Quomodo abutimur? Pr. Rogas? quum aut patris aut matris indulgentiam in malum vertimus. Put. Rectè dicis; sed quotus quisque id facit? Pr. Imò ferè omnes: nisi qui à Domino Deo prohibentur. Put. Quis potest bonus esse, nisi per DEI gratiam? Pr. Ergò (ut sæpe monemur à Præceptore) precandus est, ut spiritu suo nos bonos & sanctos efficiat. Put. Gaudeo, te non attulisse jentaculum. Pr. Quamobrem? Put. Quia hoc nostro colloquio mihi videor multùm profeciisse. Pr. Ego quoque non parum. Put. Tuâ operâ id factum est. Pr. Imò beneficio DEI, qui quidem ita voluit. Put. Credo equidem. Pr. Et hic igitur, & in cæteris agnoscamus bonitatem ejus. Put. Valdè id æquum est. Pr. Imo valdè necessarium: si quidem volumus ingrati animi crimen effugere. O sermonem jucundissimum! gratiæ DEO immortales, per Jesum Christum. Put. Item velim.

XXIII.

Theo-

Theophilus & Thomas de prandii horis inter se colloquuntur, ille maturius ait se prandere, hic serius, idque propter Patrem è curiâ exspectandum, eademque de causa cantioni psalmorum interesse non solere.

Modus servandus. Offensiones mutuò remittendæ.

THEOPHILUS. THOMAS.

QUando vis prandere? Thoma. Ego jam prandi. Th. Quotâ horâ? Tho. Sesquioctavâ. Th. Tàm manè igitur prandetis? Tho. Sic ferè solemus in æstate: vos autem? T. Non prandemus ante sesquidecimam: interdum ab undecimâ. Tho. Papæ! cur non citius? T. Exspectandus est pater, dum è curiâ redierit. Tho. Tu igitur non potes adesse aulæ in cantione Psalmorum? T. Rarò admodum interfum. Tho. Quomodo excusaris? T. Exemptus sum illo munere. Tho. Quis te exemit? Didascalus, patris mei monitu. Tho. Ergone omnes senatorum filii habent hujusmodi privilegium? T. Habent, modò patres jubeant. Tho. Nonne mater posset tibi dare prandium, ante reditum patris è senatu? T. Posset quidem: sed pater vult à me exspectari. Tho. quamobrem? T. Quia sic illi placet. Tho. Nunc mihi tacendum est. Os enim mihi occlusisti. T. Cur tu es tàm curiosus percontator? Tho. Puer sum: & pueri semper cupiunt aliquid scire novi. T. Fateor, sed est modus in rebus, ut Præceptor nos sæpè docet. Tho. Ergò discedamus, ut te pransum conferas. T. Ignosce, quæso, si quâ in re te offenderim. Tho. Ego abs te idem peto: ego inquam potiùs, qui te offendere potui loqua-

citare meâ, sed interim nihil cogitans mali.

XXIV.

Theophylactus, Tobiæ de sua merenda impertit, & simul rationem ostendit, qua sibi ille in posterum de merenda & jentaculo prospiciat.

THEOPHYLACTUS. TOBIAS.

ORo te, da mihi ex pane tuo. Tob. Mihi non habeo nimis; tamen volo tibi impertiri, accipe. Th. Gratias ago tibi. Tob. Non est, quòd agas, ob rem tantulam. Sed dic quæso, cur non attulisti? Th. Quia nemo erat domi nostræ, qui mihi daret. Tob. Tu verò, cur non accipis? Th. Non audeo, nisi det mater. Tob. Benè facis: sed audi bonum consilium. Th. Auscultο, ut audiam: dic quæso. Tob. Quum prandio finito tolluntur mensæ reliquiæ, petito merendam tuam, eamque in peram tuam recondito: ita fiet, ut nunquam immunis venias. Th. De jentaculo autem quid suades? Tob. Ut petas in exitu cœnæ, & idem facias, quod dixi tibi de merendâ. Th. Nunquam vidi melius consilium dari. T. Fac igitur, ut memineris: & quum voles, utere. Th. Ego vero utar, quoties opus erit.

XXV.

De carnium differentia & beneficiorum divinorum cognitione.

Mendacium vitandum est. Christus veritas. Christiani sunt filii DEI, & Christi fratres. Charitas in pauperes.

AURELIUS. AUGUSTINUS.

QUid tibi dedit mater in merendam? A. Vide Aur. Caro est: sed quænam? A. Bubula. Aur. Utrum

Utrum recens, an salsa? A. Bubula salita. Aur. Utrum pinguis, an macra? A. Ehò ineptè; non vides, macram esse? Aur. Annon malles esse vitulinam aut vervecinam? A. Utraque bona est; sed in omni genere sapit mihi hædina, præsertim assa. Aur. Hem, delicatule, jamnè palatum tàm doctum habes? A. Dico, ut sentio: non enim est mentiendum. Aur. Absint à nobis mendacia, sumus enim filii DEI & Christi fratres, qui est ipsa veritas, ut ipse de se loquens testatur. A. Sed ad rem: Suilla quoque vescor libenter, modico sale adspersa & benè cocta. Aur. O mirificam DEI gratiam, qui dat nobis tot obsoniorum genera, & tam bona! A. Quot putas esse hâc in urbe pauperes, qui solo pane hordeaceo victitant, neq; tamen ad saturitatem? Aur. Non dubito, multos esse, in tantâ præsertim annonæ caritate. A. Itaque nos in tantâ bonarum rerum copia, quantas Deo gratias agere debemus! quas laudes illi dicere! Aur. Ejus igitur beneficia magnificè ubique prædicemus, atque interim precemur, ut pauperum suorum misereatur inopiæ. A. Utinam ipse corda nostra suo spiritu ad eam rem penitus afficiat. Aur. Ita precor.

XXVI.

Interrogatiuncula de morbo.

DEUS est medicorum Princeps.

DIGNUS. DOLABELLA.

QUid egisti per hos quindecim dies? Dol. Ministravi matri, quæ graviter ægrotabat. D. Ain, tu? Dol. Sic est profectò. D. Quo laborabat morbo? Dol. Febre tertianâ. D. An convaluit? Dol.

Paulatim convaleſcit, gratia Deo. DIGNUS. Quis eam ſanavit? Dol: Medicorum ſummus. D. Quis ille? Dol: ipſe Deus. D. De hoc nihil dubito: ſed cujus operâ? Dol: Domini Sarraſini. D. Is habetur maximi nominis, in medicinæ profeſſione. Dol: Id quotidiè probant egregiæ curationes ejus. D. Quibus remediis utebatur in curandâ matre tuâ? Dol: Medicamentis. D. Satis iſtud intelligo, etiam te tacente: ſed dic planè, quæ fuerunt iſta medicamenta? Dol: Sine me aliquantiſper recordari. D. Sino: dic tandem, quæ reminiſceris? Dol: Duo tantum nomina mihi occurrunt, clyſteres & potiones. D. Quid iſta conferunt? Dol: Eho ineptè: ita rogas, quaſi ego medicinæ operam dederim. Itaque ſi cupis amplius ſcire, quære tutè ipſe ab iis potiùs, qui iſta profitentur, hoc eſt, à medicis & pharmacopolis. D. Ne mihi ſuccenſeas, oro. Dol: Cur tu es adeò curioſus? D. Ut addiſcam ſemper aliquid. Dol: At vide interim, ne voceris percontator. D. Audi tamen item pauca. Dol: Loquere. D. Quamdiu ægrotavit mater? Dol: Ferè duas hebdomades. D. Intereà ubi erat pater? Dol: Profectus erat Dantiſcum ad mercatum. D. Sed tu, quotâ horâ rediiſti in Gymnaſium? Dol: Hodiè manè. D. Dediſtinè excuſationem Præceptori? Dol. Dedi. D. Quid tibi reſpondit? Dol: Factum benè inquit. Tu verò ubi fueras? D. Heſterno die rus iveram cum patruo. Dol: Age videamus, quid ſumus reddituri horâ ſecunda, nam ego quodam modò nunc novus ſum diſcipulus.

XXVII.

Er-

Ernestus Eudoxo ægrotanti suadet, ut quiescat, paret Eudoxus.

ERNESTUS. EUDOXUS.

QUid tristis es, Eudoxe? Eud. Ægroto. E. Quid morbi est? Eud. Nescio. Er. Sed tamen: estnè gravis morbus? Eud. Non admodum, gratia Deo. E. Quidnam tibi dolet? Eud. Caput. E. Quid? totumnè caput? Eud. Non certè. E. Quæ pars igitur? Eud. Nescio nomen. E. Estnè vertex? Eud. Non est. E. Quid ergò? utrum sinciput, an occiput? Eud. Hæc pars anterior. E. Est ergò sinciput. Eud. Quid igitur faciam? E. Quiesce bene: mox sanus eris. Sic enim à matre accepi, nullum esse præsentius remedium capitis doloribus, quam quietem. Eud. Atqui varii sunt morbi capitis. E. Et varia fortasse remedia: sed quid est facilius, quam id tentare, quod dixi tibi? Eud. Experiri quidem nihil, ut spero, nocebit: sed ubi quiescam? E. Domi vestræ in lecto. Eud. Mater non sinet. E. Imò, si dixeris, te ægrotare. Eud. Atqui putabit, me simulare. E. Fieri potest: sed quid dubitas periculum facere? Eud. Bonum consilium. E. Utere, si vis. Eud. Faciam profectò. E. Enim verò, si sapis. Eud. Sed unum restat. E. Quid est? Eud. Impetranda est à Præceptore venia. E. Adi, & pete. Eud. Quid, si nolit dare? E. Imò facilimè. Eud. Qui scis istud? E. Quia satis est credulus nobis: nisi qui aliquoties illum fefellerunt. Eud. Nunquam sciens illum fefelli. E. Ito igitur fidenter. Eud. Nunc eo. E. Sed heus, priùs meditare, quid sis dicturus: ne fortè loquendo hæreas. Eud. Benè mones. non accedam imparatus.

XXIIX.

De frigoris acercitate, & hypocausti incommodo.

FABIANUS. FORTUNATUS.

QUò nunc is? Fort. In hypocaustum. F. Quid ò? Fort. Hoccinè est rogandum? non frigus sentis? F. Quotusquisq; nunc non sentiat, quum adeò sit acerbum? sed ego malim me in culina calefacere. Fort. Atqui Præceptor vetuit. F. Non ignoro: sed rogabo veniam. Fort Cur non vis in hypocausto calefieri? F. Vapores clybani tentant mihi caput, quod alioqui infirmum satis habeo; undè fit, ut facilè ex capite laborem. Fort. Ego quoque sic aliquando fui: sed paulatim assuefeci me, ad ferenda hypocausti incommoda. F. Et ego, ut spero, me assuefaciam: verum præstat, id fieri horis pomeridianis, ubi tantus ille æstus deferbuerit. Fort. Sed nunc tempus non est hic philosophandi diutiùs, jam mihi dentes frigore crepitant.

XXIX.

Curiosus res novas audire semper captat.

GALENUS. GEORGIUS.

UNde venis? G. è foro. Gal. Quid illic audivisti novi? G. Nihil. Gal. Nihilne? G. Nihil prorsus. Gal. Mirum est, te nihil audisse de bello, aut de cæteris rebus Polonicis. G. De iis, quæ nihil ad me pertinent, non soleo percontari. Gal. Esto: sed tamen aliquid vel in transitu audiri solet. G. Ne mentiar, intellexi nonnihil in transitu. Gal. Narra mihi quæso. G. Nunc non est narrandi spatium. Gal. Cur non? G. Est mihi aliò properandum. Gal. Quonam? G. Nihil ad te. Gal. Quando

Quando igitur reviſes nos, ut ex te iſtud audiamus? G. A prandio, ſi licebit per otium. Gal. Amabo te, fac liceat. G. Dabo operam: ſed me detines diutius. Vale. XXX.

Interrogationes curioſæ de rebus minutiſſimis, nec tamen inutiles.

Præparatio in rebus omnibus. Patrisfamilias diligentia in re familiari.

HADRIAN. HILAR.

CUr hodiè manè abfuiſti? Hil. Occupatus eram. H. In quo negotio? Hil. In ſcribendis ad matrem literis. H. Quid opus erat illi ſcribere? Hil. Quia ad me ſcripſerat. H. Ergò reſcripſiſti? Hil. Propriè loqueris. H. Unde tibi miſerat literas? Hil. Rure, nempè ex villa noſtra. H. Quando rus profecta eſt? Hil. Superioribus diebus. H. Quid agit ruri? Hil. Curat noſtra negotia ruſtica. H. Quid potiſſimum? Hil. Præparat ea, quæ ſunt opus ad proximam vindemiam. H. Prudenter agit. Hil. Unde illud probas? H. Nam omnibus in rebus adhibenda eſt præparatio diligens. Hil. Quis te iſtud docuit? H. Quidam pædagogus dictavit è Cicerone. Hil. Quâ occaſione? H. Quum admoneret, ut me diligenter pararem ad reddendam hebdomadem poſtero die. Hil. Profectò rectè monebat. H. Sed ad propoſitum revertamur. Non habetis villicum, qui curet ruri veſtra negotia? Hil. Imò & villicam habemus, & famulos & ancillas. G. Quid igitur opus eſt illic tuæ matris operâ? Hilar. Quia melius novit providere rebus omnibus, quàm iſti impe-

imperii ruricolæ. H. Nihil ne amplius? Hil. Sine me finire propositum. H. Putabam, te absolvisse: perge. Hil. Etiam, ut ex patre audivi, præcipua cura domini requiritur, in re familiari administrandâ. H. Ergo pater tuus nunc potius deberet ad villam esse. Hil. Non potest. H. Quid prohibet? Hil. Quia totus est in arte suâ occupatus. H. Majorem, ut opinor, ex eâ re fructum percipit. Hil. Quis dubiter? H. Indè igitur fit, ut relinquat uxori omnem curam rei domesticæ. Hil. Omnino sic est. H. Sed mater quando est reversura? Hil. Vix ante perfectam vindemiam. H. Quid tu? non ibis vindemiatum? Hil. A matre, ut spero, brevi accersar. Sed quæso te, quid cogitamus? Jam omnes in auditorium currunt. H. Benè res habet: curramus & nos, ne postremi simus.

XXXI.

De reditu ex villa.

NEANDER. NICAS.

UBi fuisti his diebus? Hic. Nic. Ruri. N. Quo in loco? Nic. In villâ nostrâ. N. Quid agebas illic? Nic. Ministrabam patri. N. Quid vero ille? Nic. Pastinabat vites nostras. N. Quando illinc rediisti? Nic. Heri tantum. N. Quid pater? Nic. Una mecum reversus est. N. Bene factum: sed quo nunc is? Nic. Rectà domum. N. Quando repetes ludum literarium? Nic. Cras, juvante Deo, aut ad summum perendie. N. Ergo interim vale. Nic. Et tu vale, Mi Neander.

XXXII.

Octavus & Oedipus de reditu à vindemiâ deque uvis illatis colloquuntur.

OCTA-

OCTAVUS. OEDIPUS.

GRatulor tibi reditum Oedipe, quando rediisti rure? Oed. Heri post meridiem. O. Quid mater? Oed: Quemadmodum illa me secum duxerat, ita reduxit. O. Nonne venit equo? Oed: Et quidam tolutario. O. Tu vero? Oed. Quid rogâs? eram illi à pedibus. O. Non tibi fuit molestus labor itineris? Oed: Nulla mihi fuit via difficilis; adeo erat jucunda in urbem reditio, quid quæris, noluissem eques venire. O. Quantum distat hinc villa vestra? Oed: Quatuor milliaribus, iisque non admodum longis. O. Sed jam satis de reditu, nunc aliud agamus. Fuistine memor promissi tui, num redisti vacuus? Oed: Attuli uvarum, quantum potui. O. Quantum igitur? Oed: Quasillum. O. Hui quasillum, tibi igitur uni. Oed: Immo nobis duobus. O. Quid duobus tantillum? Oed: Non poteram ferre amplius, pro viribus corpusculi mei, quod si robustus essem, asini onus asportâssem, mater enim facilè permittebat. O. Quàm vellem adfuisse! Oed: Ego & mater te plurimum desideravimus. Sed esto animo bono, ea reliquit famulum ruri, qui ampliſſimà corbe onustus veniet: tum illa tibi dabit affatim. O. Ohè, nunc optata loqueris, mi Oedipe. Oed: Eamus domum ad nos: videbis quasillum nostrum, adhuc, ut spero, integrum. O. O lepidum caput! nam & cupiebam ire salutatum matrem tuam mihi chariſſimam. Oed: Profectò illi gratissimum feceris. O. Eamus igitur.

LI-

LIBER QUARTUS.
QUI
PRÆCEPTORUM
VEL
EORUM, QUI VICE PRÆCEPTORUM SUNT, CUM DISCIPULIS COLLOQUIA CONTINET.

COLLOQUIUM I.

Pædagogus ad exercendam suorum discipulorum memoriam, à quodam eorum exercitationis matutinæ rationem exigit. Narrat puer ordine & distinctè singula, idque memoriter & audientibus condiscipulis.

Exemplum ad pueros in simplici narratione exercendos, ut puro sermoni paulatim assuescant.

PÆDAGOGUS. ALBERTUS.

HOdie manè quotâ horâ expergefactus es? A. Ante lucem; quotâ horâ nescio. P. Quis te expergefecit? A. Venit excitator hebdomadarius cum laternâ suâ: pulsavit acriter ostium cubiculi: quidam aperuit: Excitator accendit nostram lucernam, clarâ voce inclamavit: Experrecti sunt omnes? P. Narra mihi ordine, quid egeris ex illo tempore, usque ad finitum jentaculum. Vos pueri, auribus atque animis diligenter attendite, ut discatis hunc vestrum condiscipulum imitari. A. Experrectus surrexi è lecto, indui tunicam cum thorace, sedi in scabello accepi femoralia & tibialia, utraque indui,

dui, calceos calceavi, femoralia ligulis astrinxi thoraci, tibialia perisceli de ligavi supra crura, cingulo me præcinxi, caput dilgenter pexui, aptavi capiti pileolum, togam indui? deinde egressus cubiculum descendi infrà, urinam in areà reddidi ad parietem, accepi frigidam è situla, manus & faciem lavi, os & dentes collui, detersi mantili manus & faciem Intereà signum ad precationem datur minore tintinnabulo, in aulam privatam convenitur: precamur unà, accipimus ordine jentaculum à famulo culinario: Jentamus in triclinio, sedentes & quieti, sine murmure, sine strepitu: quos audivi ineptè garrientes, aut verba loquentes otiosa, aut etiam lascivientes vidi, amicè admonui: qui non paruerunt admonitioni, detuli ad observatorem, ut eos notaret. P. Nemonè vobis præerat, dum jentaretis? A. Imò hypodidascalus. P. Quid agebat intereà? A. Ille per mediam aulam ambulabat, tenens librum in manibus, & itentidem monens observatorem, ut notaret ineptè garrientes. P. Nullumne igitur verbum tunc licet emittere? A. Imò licet, verum ii demum notari solent, qui diu & multis verbis inepte & sine ullo fructu confabulantur. Cæterùm licet omnibus jucundos inter se tractare sermones, de bonis & honestis rebus: dum tamen id modestè fiat, citra clamorem & contentionem. P. Hactenùs satisfeci sti mihi: cætera narrabis à prandio, nisi aliquod negotium intervenerit. Eamus nunc in aulam ad prandium, ne magistro in morâ simus. A. Audivi modò, signum dari. P. Oportunè datum.

II.

Prosequitur puer narrationem, ante prandium inceptam.

PÆDAGOGUS. ABRAHAMUS. puer.

UBi finiviſti narrationem ante prandium? A. Quum vellem finem imponere de jentaculo, tu me interpellaſti, Præceptor. P. Perge igitur narrare ordine reliqua. A. Dum jentandi finem facimus, datur publicum ſignum poſterius. Sumit quisque libros, imus in aulam communem, recitantur de more catalogi ſingularum claſſium, qui adſunt, ad nomen reſpondent, ego quoque reſpondeo: abſentes notantur in catalogis ab ipſis Nomenclatoribus. Finitâ catalogorum recitatione, Ludimagiſter pulpitum aſcendit, ut precetur: jubet nos attentos eſſe: tumque publice precatur; ubi precatus eſt: recipite, inquit, vos in ſuum quisque auditorium. Conveniunt omnes: ego item venio cum meis condiſcipulis. Sedeo in loco meo, Præceptor ingreditur: inquirit de abſentibus, deinde ſedet in cathedrâ ſuâ, & jubet pronunciari auctoris ſcriptum. Pronunciamus terni clarâ voce, ut ſolemus quotidiè. Tùm jubet, ut reddamus interpretationem: aliquot ex rudioribus legunt ſinguli, nos alii reddimus terni, idq; memoriter, præter eum, qui verba ipſa auctoris præit nobis ordine. Tandem Præceptor exigit vernaculam verborum ſignificationem, doctiores, quibus nominatim præcipit, reſpondent: ego quoque juſſus abeo, reſpondeo: laudat ille, qui bene reſponderint, de quorum numero ego (quod

(quòd sine jactantia dictum sit) unus eram. Postea jubet singulas narrationis partes ordine tractari ad rationem Grammaticam. Postremò palàm præscribit, quid sit à prandio reddendum, auditâ horâ octavâ, precationem imperat, quâ finitâ, monet, ut officium sedulò faciamus, tandem nos missos facit. Eo spectante, eximus ordine, & sine strepitu, lætique discedimus. Satisne tibi feci, Præceptor? P. Imo cumulatissimè. A. Placetnè tibi, ut sub cœnæ tempus idem faciam de reliquis hujus diei actionibus? P. Nihil opus erit, nam de iis, quæ horis pomeridianis aguntur, aliàs te audivi satis. A. Nunquid vis præterea? P. Estnè tempus eundi in aulam communem, ad Psalmorum cantionem? A. Tempus est. P. Ite igitur.

III.

Pædagogus puerum in divinis rebus per otium instituit. Divinorum beneficiorum commemoratio.

Christi mors salus est omnium credentium.

Laudatur pueri studium ac diligentia. Locus ex Johannis Evangelio.

PÆDAGOGUS. AUGUSTINUS, puer.

ADes Augustine? A. Adsum Præceptor. P. Quid agunt condiscipuli tui? A. Adhuc docentur à subdoctore. P. Tu verò jamnè pronunciasti contextum prælectionis in crastinum manè? A. Pronunciavi. P. Satisnè rectè? A. Satis, gratia Deo. P. Quis te audivit? A. Ludimagister. P. Benè habet;

bet: sed est, quod monere te velim. A. Ego istud audire percupio. P. Sæpe numero cogitandum tibi est, quantum debeas bonorum omnium largitori DEO, qui & ingenium & memoriam tàm felicem tibi dederit. A. Quid illi non debeam, qui mihi dedit omnia? P. Dic aliquot ejus beneficia præcipua, quemadmodum docui te aliquando. A. Dedit mihi cœlestis ille Pater, corpus, animam, vitam, mentem bonam, parentes bonos, locupletes, nobiles, bene erga me affectos, & qui non modò suppeditant mihi copiosè omnia ad hanc vitam necessaria, sed etiam (quod est longe maximum) me bonis literis bonisque moribus tàm diligenter instituendum curant, ut nihil sit præterea requirendum. P. Verè omnia ista dixisti: sed unum prætermisisti, quod est singulare DEI beneficium. Scin' tu, quid sit? A. Sine me paulisper cogitare. P. Otiosè cogita. A. Nunc ego reminiscor: sed pro magnitudine rei, nescio, quibus verbis id possim exprimere. P. Dic tamen quo poteris modo. A. Cupio etiam atque etiam. P. Dic tandem. A. Innumerabilia sunt DEI optimi maximi erga me beneficia, in corpore, in animo, in externis rebus: sed nullum majus, nec dici, nec cogitari potest, quàm, quod filium suum unicum gratis mihi dederit, qui me miserrimum peccatorem, & sub Satanæ tyrannide captivum, ac morti æternæ destinatum redemit, idque morte sua omnium crudelissima, & maxime ignominiosâ. P. Satis aptè dixisti, & totidem ferè verbis, quot alias te docueram. Sed nunquid DEUS

tibi

tibi uni hoc tantum beneficium præstitit? A. Minimè verò. P. Quibus prætereà? A. Omnibus, quotquot Evangelio fideliter ac verè crediderint. P. Agè, profer locum ex Johannis Evangelio in eam sententiam. A. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum: sed ut servetur mundus per eum. Qui credit in eum, non condemnatur: qui verò non credit, jam condemnatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filii DEI. Hæc est autem. P. Hactenus satis: Sed cujus sunt verba ista? A. Ipsius Christi de se ipso loquentis. P. Quem alloquitur? A. Nicodemum, qui ad eum noctu venerat. P. Faxit ipse Christus unicus Servator noster, ut magis ac magis in ipsius cognitione proficias. A. Faciet, spero. P. Perge igitur, ut cœpisti, alacriter, quod benè vertat DEUS in gloriam sui nominis. A. Ita precor. P. Eamus cœnatum.

IV.

Quidam pædagogus discipulum educit ambulatum. Exercitatio corporis. Socratis apophthegma.

Ambulatio fit propter comites jucundior. Exemplum honestæ remissionis in studiis.

PÆDAGOGUS. BENEDICTUS. puer.

HEus Benedicte! B. Hem Præceptor! P. Pone libros: jam satis toto die studuisti: para te, ut eamus ambulatum. B. Nonnè à cœna præstaret? P. Salubrior est ante cibum exercitatio corporis.

B Memini ex te audire. P. Narra Socratis dictum in eam sententiam. B Quum Socrates usque ad vesperam contentiùs ambularet, interrogatus, quare id faceret, respondit, se, quò meliùs cœnaret, obsonare famem ambulando. P. Probè meministi: quis auctor? B. Cicerò. Sed quo prodibimus, Præceptor? P. Extra urbem. Bened. Mutabonè calceos? Pæd. Muta, ne istos novos pulvere conspergas, sume etiam umbellam, ne solis ardor infuscet tibi faciem. Ben. Jam paratus adsum. Pæd. Nunc sanè prodeamus. B. Vocabonè ex vicinià unum aut alterum comitem? P. Rectè admones, sic enim jucundior erit deambulatio; nam per viam sermones inter vos conferetis, & in umbrâ colludetis alicubi. B. Sic etiam excitabitur tibi appetentia. P. Ego lento gradu præcedam, ubi nactus eris comites, vos me per portam Ripariam sequimini. B. Nos igitur illic exspectabis? P. Certo. B. Quid si nullos invenero? P. Nihilominus sequere me, audisti? B. Audivi, Præceptor.

V.

Nomenclator officium diligenter facit in requirendis absentibus.

NOMENCLATOR. BERNHARDUs, puer.

UBi est frater tuus? B. Modò ivit domum. N. Quid eò? B. Petitum nobis obsonium. N. Quid nunc vobis opus est obsonio? B. In merendam. N. Annon habetis in arcâ vestra? B. Non. N. Quid ita non? B. Quia mater non solet mihi dare obsonium, nisi in præsens tempus. N. Nempe, quia novit, vos esse gulosos. B. Quomodo gulosi su-

sumus? N. Quia fortasse uno convictu devoratis, quod in tres datum fuerit. B. Tace, ego dicam fratri, te nos gulosos vocare. N. Tace, ego dicam Præceptori, fratrem tuum nihil aliud, quàm discurrere. B. Atqui prodire non solet, nisi cum bonâ veniâ Præceptoris. N. Atqui Præceptorem fallit. B. Quomodo fallit eum? N. Non enim mens est Præceptoris, ut ter quotidiè prodeat. B. Sine illum venire; videbis, quid tibi respondeat. N. Imò ille viderit, quid Præceptori respondeat.

VI.

Publica observatoris admonitio ad condiscipulos in aulâ communi scholæ universæ. Admonitionis summa, ne pueri tempore abutantur. Extemporalis responsio cujusdam primæ classis.

OBSERVATOR. DOLETUS.

Desinite, ô pueri, garrire, absente magistro,
Verba, quibus summus læditur ille Pater.
De studiis potius tractate & rebus honestis:
Discite sermones aptaque verba loqui.
Discite & inter vos reddenda revolvere sæpè,
Doctor enim pueris semper adesse nequit.
Discite sectari vestigia certa bonorum:
Otia ceu blandum fœda cavete malum.
En ego præmoneo, vos ne delectet abuti
Tempore; ne tergum verbera dura premant.
Ecce iterum vobis morum prædico magister:
Si quis erit cæsus, ne mihi det vitio.
D. Desine plura loqui, nemo parere recusat:
Est monitor nobis optimus ille Pater:
Illiusque Patris Natus, cui nomen JESUS.

Et qui nos renovans Spiritus, intus alit,
O. Quem mihi sperâssem tàm respondere paratum?
Quis puer angelicos mittit ab ore sonos?
O quam te memorem nostræ doctissime classis!
Nam tibi divinum carmen ab ore fluit.
D. Non sum tàm felix, ut fundam ex tempore versus:
Sed modò quæ dixi, præmeditatus eram.
O. Si meditatus eras, qui nunc tàm fundis apertè
Castalios latices: quis furor iste novus?
D. Nam tua me tantis moverunt carmina flammis,
Ut mihi nunc videor posse movere feras.
O. Sed cur immeritum tantis me laudibus effers?
Est tribuenda uni gloria summa DEO.
Atque utinam eloquium nobis spaciumque daretur:
Et nostra in laudes solveret ora suas.
Sed quia tempus adest, ut voce & mente precemur,
Idque jubes doctor, desino plura loqui.

VII.

Observatoris diligentia in exigenda à Pueris ratione.

Benè sibi conscius securo est animo. Omnis homo mendax.

OBSERVATOR. DESIDERIUS.

UNde venis Desideri? D. Domo O. Quid adfers illinc? D. Merendam. O. Quis tibi permiserat exire? D. Præceptor ipse. O. Unde istud probabis? D. Adeamus illum, ut consulamus O. At vide, quid agas. D. Hâc in re nihil timeo. O. Adeòne securus es? D. Qui verum dicit, nihil timere debet. O. Vera quidem ista est sententia, sed quotusquisque non mentitur? D. Certus sum, me nihil

nihil mentiri nunc. O. Propemodum persuades mihi. Abi, credo tibi, quia in mendacio nunquam te deprehendi. D. Est DEO gratia, quam precor, ut me integrum & purum custodiat. O. Utinam ex animo sic omnes precarentur! recipe nunc te, ut edas merendam tuam.

IIX.

Faceta observatoris confabulatio cum puero verè candido, & simplicis ingenii.

OBSERVATOR. ENNIUS.

TU nunquam studes, quando eris doctus? E. Id fiet progressu temporis, Deo juvante. O. Rectè dicis, sed interim laborandum tibi est. E. Atqui ego non sum arator. O. Etiam rides quasi laborare idem sit, quod arare. E. Scio, non idem esse. O. Cur ergo sic respondes? nonnè istud ridere est? E. Et ridere non est malum, quum sit naturale omnibus hominibus. O. Pergin' tu nugas dicere? E. Quod dixi, verum est, & verum dicere non est nugari: cur me immerito reprehendis? O. Jure te arguo. E. Quo jure? O. Quia non ignoras, ridere pro irridere usitatum esse, & tamen sic accepisti, quasi de risu sum loquutus. E. Si defendo causam meam, quid mali facio? O. Pergis igitur esse pertinax? profectò seriò notaberis. E. Ne quæso mihi irascaris, mi Martine. O. Non irascar, sed officium meum facio. E. Sed audi quæso. O. Quid audiam tuas nugas? E. Audi, inquam, nihil mentiar. O. Dic breviter: est mihi alibi negotium. E. Inprimis, quum tu me admonuisti, non eram otiosus. O. Quid ergò? si

nihil faciebas, nonnè otioſus eras? E. Non eram, pace tua dixerim. O. Qui poteſt iſtud fieri? E. Dicam tibi: etſi tutè melius hoc intelligis, quàm ego. Nihil faciebam, ut apparebat, ſed tamen cogitabam aliquid boni. O. Declara iſtud mihi. E. Quum tu facis verſus, ſæpè meditaris diu quaſi ſis otioſus: quamvis nunquam ſis minùs otioſus. O. Pro iſtâ ætate nimis acutus es. Etiam tibi, ut ais, otioſus non eras: tamen qui te viderent, poſſent aliter judicare. E. At ſolus eram. O. Verum: ſed poterant aliqui intervenire. Denique non fateris culpam? E. Si qua fuit culpa, in eo fuit, quòd primo adſpectu videbar tibi eſſe in otio, quum reverà non eſſem. O. In eo nihil requiro; ſed de irriſione quid reſpondes? E. Certè nihil dixi deridendi animo. O. Quo igitur? E. Jocabar, crede mihi. O. Quorſum? E. Ut, paucis verbis fabulando, aliquid ex te addiſcerem. O. Non is ſum, à quo multa doceri queas. E. Imò tecum multum boni ſæpè didici. O. Quid tandem vis concludere? E. Ut mihi ignoſcas: quando, ut vides, malo animo nihil peccavi, quod equidem ſciam. O. Age, ignoſco: quia videris mihi candidus & apertus: neque adhuc vidi, te mendacem eſſe. E. Ago tibi gratias, Martine ſuaviſſime.

IX.

Hic nihil invenit Obſervator, quod notet.

OBSERVATOR. PUERI. ſtudentes.

QUid vos hic agitis, pueri? mihi videmini garrire, & nugas agere. *Quidam puer.* Longè falleris, nam repetimus unà. O. Quâ de re? P. D. verbis

bis anomalis, id quod reddendum est horâ tertiâ. O. Benè facitis. P. Vis audire nostrum colloquium ? O. Imò pergite ? majus opus moveo : volo tendere laqueos picis & graculis. P. In areâ multos ad solem invenies. O. Retibus est illic præda parata meis.

X.

Pueros in otio deprehensos non deterret observator, sed eos humaniter admonet.

Exemplum observatoribus imitandum in causis levioribus, præsertim cum pueri non sunt contumaces.

OBSERVATOR. PUERI. garrientes.

AT at! ecce, nunc capti estis ! non fatemini ? Quidam Puer Certè fatemur ingenuè, sed non dicebamus mala verba : quæso te, mi Nicolae, ne velis notare nos. O. Quid garriebatis ; audivi, nescio quid, de jentaculo. P. Illud est, loquebamur de jentaculo matutino : quia famulus non dederat nobis in tempore. O. Puto id fuisse, nec certè est valdè magnum malum : nisi quòd sunt otiosa verba. P. Sed latine loquebamur. O. Audivi, sed non erat fabulandi locus. Nam (ut scitis) hoc pusillum temporis à merendâ debet vobis esse valdè pretiosum, quum sit dicatum studio : scilicet, ut se diligenter quisque præparet ad reddenda magistris ea, quæ præscripserint : nonnè verum dico ? P. Certè verum dicis, nos debuissemus legere simul de Testamento, quæ mox oportebit reddere : sed ignosce, precor, suavissime Nicolae, posthac erimus prudentiores, & offi-

cium noſtrum diligenter faciemus. O. Si ſic feceritis, Præceptor vos amabit, tanquam minuta ſua inteſtina. Nonnè videtis quemadmodum diligat bonos pueros & ſtudioſos? nec amat ſolum; ſed etiam laudat, & præmiolis afficit. P. Iſta ſcimus, & quotidie experimur. O. Ergò mementote & promiſſa facite. P. Tacebis igitur hanc culpam? O. Tacebo, eâ lege, ut caveatis recidere? P. Cavebimus, Chriſto favente.

XI.

Magiſter obſervatores publicos admonet de ipſorum officio.

PRÆCEPTOR. FLORENTINUS, famulus. OBSERVATORES.

HEus Florenti! F. Hem, præſto ſum, here. P. Accerſe mihi huc quinque publicos obſervatores, quos heſterno die in hunc menſem elegi: noſtin? F. Optimè; nam egomet aderam. P. Sunt, opinor, in ſuo quisque auditorio: feſtina. F. Quam primùm rediero. O. Adſumus omnes, Præceptor, quid tibi placet imperare? P. Satis erat jubere, nec enim ſum Imperator, nec magiſtratus. Ego vos huc accerſendos juſſi, ut vos officii veſtri commonefacerem. Vos igitur attentis auribus atque animis audite. Non ignoratis, quanto cum timore Domini heſterno die palàm in aulâ noſtra communi vos elegerim: ſequuta eſt admonitio noſtra atque exhortatio ad omnem cœtum ſcholaſticum de timore Domini, deque moribus, qui deceant ſtudioſos in Scholâ verſantes quotidiè: deinde non ſine optimorum adoleſcen-

scentium testimonio vos elegi quinque, quos ad hoc munus idoneos existimavi: postremò ventum est ad secundam, cum gratiarum actione, precationem. Ne igitur putetis ludum fuisse aut jocum actionem illam, in quâ nomen Domini tam studiosè fuerit invocatum; ac licet apud imperitos aut arrogantes hoc munus & vile & abjectum videatur, vos tamen credite, cum honorificum tùm sanctum esse vestrum istud ministerium. Quod si aliter existimabitis, fieri non potest, ut munere vestro rectè fungamini. Itaque ego vos hortor, quantum possum, & per JEsum Christum obtestor, ut cum DEI timore atque reverentiâ diligentiam præstetis in iis omnibus, quæ intelligetis ad officium vestrum pertinere. A vobis igitur absit omnis favor, odium, gratia, studium vindicandi, & simile, quæ transversos agunt homines, & sincerum corrumpunt judicium. Ne timeatis improborum minas, qui pusilli animi adolescentes ab officio solent absterrere. Quam enim habent in vos potestatem? potiùs eum timete, qui vester est Dominus, qui vitæ ac necis potestatem habet, illius, inquam, tanti principis timor vobis ad oculos semper obversetur. Incurretis (scio) in aliquot improborum ac dissolutorum odium, sed pluris sit vobis unius patris vestri cœlestis amor & charitas, quàm omnes omnium hominum inimicitiæ. Estote semper memores verbi illius, quo Servator noster & summus Præceptor suos discipulos ad constantiam hortabatur: si vos, inquit, odit mundus, scitote

tote, quòd me quoque prius odio habuerit. Vos igitur, propter ipsum Christum, omnes flocci-facite nebulonum minas, offensiones, inimicitias, dummodò gloriæ Dei possitis inservire fideliter. Hæc sunt, de quibus nunc pro temporis brevitate vos admonendos esse existimavi, præter illa, quæ vos in aulâ hesterno die audivistis. Primus Observator: maximas tibi gratias agimus, Præceptor humanissime, & Christum precamur, ut sua dona tibi semper adaugeat. Alter. Te verò vehementer petimus, ut (si tibi molestum non est) perscriptam des nobis hortationem tuam: quò illam, inter nos quandoque relegentes, memoriæ tenaciùs infigamus. P. Id faciam primo quoque tempore: quandoquidem rem sanè honestissimam postulatis. Primus Observ. Optamus etiam à te, si placet, commentariolum scriptum habere, de præcipuis officii nostri capitibus: ut simus certiores, quid potissimùm sit nobis hâc in re observandum. P. In ipso tempore de hoc admones: & sic ego jam pridem in animo habebam, sed me quotidie aliud ex alio impedivit. Dabo igitur ejusmodi commentariolum, quod videlicet contineat, quicquid ad observatorum publicorum officia pertinebit. Id autem describetis ex archetypo meo, quod ideo servare volo, ut cæteris quoque tradere possim futuris observatoribus. Nunc redite, in suum quisque auditorium. O. Rectà imus, Præceptor.

XII.

Duo

Duo aut tres ex domesticis discipulis Præceptorem manè salutatum veniunt, ut sciat, an omnes surrexerint. Admonitio Præceptoris.

Exemplum diligentiæ observatu dignum.

FRANCISCUS, unus Discipulorum.

PRÆCEPTOR.

SAlve Præceptor? P. Salus per JEsum Christum. An surrexerunt omnes? F. Omnes præter parvulos. P. Numquis ægrotat? F. Nescio, gratiæ DEO. P. Quid agitur? F. Alii se induunt: alii jam studentnaviter. P. Adestnè vobis hypodidascalus? F. Jamdudum. P. Ite igitur precatum: vosque diligenter commendate Domino Deo, per Jesum Christum, deprecatorem nostrum: deinde pergite in studiis vestris, usq; ad horam jentaculi. F. Ita solemus, Præceptor. P. Credo equidem, sed quia ferè somniculosi estis ac negligentes, idcircò ego vos admoneo sæpiùs. F. Gratiam habemus, Præceptor humanissime. Numquid vis præterea? P. Dic famulo, ut mihi togam adferat.

XIII.

Interrogatus quidam de concione sacrâ, nihil scit respondere: Objurgatur à Præceptore, parum abest, quin vapulet; sed precibus exorat veniam.

PRÆCEPTOR. GEORGIUS.

ADfuistinè hodiè concioni sacræ? G. Adfui. P. Qui sunt testes? G. Multi ex condiscipulis, qui me viderunt, testari possunt. P. Sed producendi erunt aliquot. G. Producam, cum jubebis. P. Quis habuit concionem? G. Dom. N. P. Quota hora incepit? P. Septimâ. P. Unde sumpsit thema?

ma? G. Ex Epistolâ Pauli ad Romanos. P. Quoto capite? G. Octavo P. Adhuc benè respondisti; nunc videamus, quid sequatur. Ecquid memoriæ mandasti? G. Nihil, quod referre possim. P. Nihilne? cogita paulisper, & vide, ne turberis! quin esto animo bono. G. Certè, Præceptor, nihil possum reminisci. P. Ne verbum quidem? G. Nihil prorsus. P. Hem verbero! quid igitur profecisti? G. Nescio, nisi quia fortasse interim à malis abstinui. P. Illud quidem est aliquid, si modo fieri potuit, ut malo animo abstinueris. G. Abstinui, quoad potui. P. Fac ita esse, non tamen satisfecisti DEO; cum scriptum sit: Declina à malo, & fac bonum. Sed dic mihi, quæso, quâ gratiâ illuc iveras potissimum? G. Ut aliquid addiscerem. P. Cur id non fecisti? G. Non potui. P. Non potuisti, nebulo? Imò noluisti, aut certè non curasti. G. Cogor fateri. P. Quæ res te cogit? G. Conscientia mea, quæ me accusat apud Deum. P. Rectè dicis, utinam ex animo! G. Equidem ex animo dico. P. Fieri potest? sed age, quid fuit causæ, quamobrem nihil memoriæ mandaveris? G. Negligentia mea, non enim diligenter audiebam. P. Quid igitur faciebas? G. Identidem dormiebam. P. Ita soles: sed quid agebas reliquo tempore? G. Cogitabam mille ineptias, ut solent pueri. P. An tu adeò puer es, ut non debeas attentus esse ad verbum DEI audiendum? G. Si attentus essem, possem aliquid proficere. P. Quid igitur meruisti? G. Verbera. P. Meruisti profecto, idque largissimè? G. Ingenuè confiteor. P. Verbotenus

tenus, opinor. G. Imò certe ex animo. P. Fortassèt sed interim para te ad plagas accipiendas. G. Ah Præceptor ignosce, obsecro, peccavi, fateor: sed nullâ ex malitiâ. P. Atqui tàm supina ista negligentia proximè ad malitiam accedit. G. Non equidem inficior: sed tuam imploro clementiam, per Christum Jesum. P. Quid igitur facies, si tibi ignovero? G. Faciam posthac officium meum, ut spero. P. Addendum erat, Deo juvante: sed id parùm curas. G. Imò Præceptor, adjuvante Deo, præstabo posthac officium. P. Age, condono culpam tuis lacrymis: tibique eâ lege ignosco, ut promissi memineris. G. Gratias ago, Præceptor humanissime. P. Eris apud me in maximâ gratiâ, si promissa servaveris. G. Faxit Deus optimus maximus, ut possim. P. Faxit, precor.

XIV.

Nimio somno deditus puer reprehenditur de veniendi in Gymnasium tarditate. Mendacio & causâ frivolâ purgare se conatur. Illi, ut verum fateatur, promittitur impunitas. Pœnarum metu, post aliquot tergiversationes, rem omnem confitetur; diligentiam promittit in posterum: Docetur qua illam ratione præstare queat. Multis verbis ad mutandos mores humanissimè commonetur. Ex pœnitentiæ signo, quod præ se fert, bonam spem promittit.

Exemplum in somniculosos.

PRÆCEPTOR. GERHARDUS.

HEus Gerharde, sequere me, in cubiculum, est quod ego te seorsim monere velim. G. Adsum, Præceptor. P. Nunquamnè maturè in scho-

lam venies? G. Non possum venire citius. P. Semper istud dicis: quid impedit? G. Nemo est domi nostræ, qui me expergefaciat. P. Nemo? G. prorsus nemo. P. Non habetis ancillam? G. Habemus quidem: sed non curat me excitare. P. Imò tu (ut opinor) non curas surgere. Nonnè verum dico? quid taces? responde nunc tandem aliquid. G. Me miserum! quid agam? P. Nihil est, quòd terrearis, fatere verum. G. Quid, si confessus ero? P. Eho! tibi ignoscam, crede mihi. G. Ah pudet! P. Ne pudeat verum fateri, quæso, alioqui vapulabis. Pergin' tacere? heus observator, vise ad matrem ejus, & roga. G. Ne mittas, oro, Præceptor, dicam rem omnem, nihil reticebò. P. Age, esto animo bono. G. Sic est profectò, ut dixisti. P. Non satis illud est, volo audire sigillatim omnia. Narra mihi planè, quemadmodum se tota res habeat. G. Quum venit ancilla me excitatum, primùm nihil respondeo, quasi seriò dormiam, deindè, si magis urgeat, attollo ægrè caput, sedeo in lecto, thoracem injicio humeris, quasi statim surrecturus. P. Quàm pulchrè narras! ita me Deus amet, nunc te magis amo, quam nunquam feci, perge. G. Cum primum egressa est ancilla cubiculum, tùm ego reclino caput in pulvinarium, ac demitto pedes. P. Etiamnè redormis? G. Ego verò redormio benè placideque. P. Quam diu? G. Donec ancilla secundò veniat. P. Quum rediit, quid tibi dicit? G. Exclamat, vociferatur, insanit. P. Quibus utitur verbis? G. Hem nebulo (inquit) quan-

quando eris in schola? ego dicam Præceptori tuo, ut benè verberet: tu nunquam vis surgere, nisi bis aut ter excitatus fueris. P. Bonâ fide promittis, acturum te posthac officium? G. Si unquam recidero, causam non dico, quin palam cædar virgis, idque acerbissimè. P. Bestè quidem promittis: sed quomodo præstabis promissa? G. Adjuvante Domino DEO. P. Quâ ratione flectes illum? G. Fide & assiduis precibus. P. Alioqui nihil posses obtinere. G. Credo equidem. P. Non satis est credere, nisi cures efficere diligenter. G. Curabo pro viribus, ac dies noctesque id unum meditabor. P. Optime loqueris, dum tamen memor esse pergas. G. Quomodo possem oblivisci? nunquam desinunt istud monere concionatores: tu verò ferè quotidie ad id nos hortaris, & benè facis, Præceptor, quia omnes sumus valde negligentes, sed ego primus omnium. P. Da igitur operam, ut tu omnium primus mores istos mutes: at memento præcipuè semper verax esse. G. Faxit DEus, ut nunquam mentiar. P. ô quàm felix esses! G. Satis in præsentia felix ero, si tantum me absolveris. P. Faciam, quod tibi sum pollicitus: sed ea lege, ut promissi tui memineris; & re ipsa præstes, quemadmodum nunc mihi recepisti. G. Quid igitur restat, quò minùs abeam liber? P. Imo aliquid restat: mane, & audi etiam nunc. G. Quam diu voles, Præceptor. P. Inter cætera, excutias oportet istam pigritiam, quæ te in lecto detinere solet, non enim decet studiosum adolescentem somniculosum, & in-

ertem esse, sed alacrem & experrectum, cujusmodi vides aliquos ex condiscipuliis tuis. Non tenes memoria divinum Petri Apostoli præceptum? G. Quod illud est? P. Sobrii, inquit, estote; & vigilate. G. ô quoties audieram! sed (proh dolor!) nunquam usurpavi. P. Fac, ut studiosè usurpes in posterum: neque illud solum: sed etiam cætera benè vivendi præcepta, quæ toties audivisti, quod quidem si diligenter feceris: tibi inprimis benè consules: jucundus eris parentibus, & mihi, & condiscipulis tuis: denique (id quod est præcipuum) charus eris Deo, qui studia tua in gloriam sui nominis magis in dies promovebit. G. ô quantum fructum sentio ex istâ admonitione tuâ! P. Vehementer sanè gaudeo, & tuâ & condiscipulorum causâ. G. Quid si narras illis meam pœnitentiam? P. Ego vero narrabo primò quoque tempore: ut exemplo tuo discant, nihil esse acceptiùs Deo, quàm culpam agnoscere, & ad frugem bonam redire. Vale fili, & adesto horâ tertiâ in auditorio. G. Ago tibi gratias ingentes, amantissime Præceptor.

XV.

Stultè interrogatur Magister à quodam discipulo de eo, quod palam dictum est.

Exemplum est puerilis imprudentiæ: ut discant pueri ad verba doctoris attentiores esse.

GEORGIUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, quid reddemus cras manè? P. Hodiè manè palàm dixi ante scholæ missionem. G. At ego non aderam Præceptor. P. Roga igitur con-

condiscipulos, nam si vellent singuli me interrogare de rebus à me palàm dictis, quæso, quando finis esset? Itaque fac sis posthac prudentior. G. Curabo pro viribus. P. Sed tu ubi eras? G. Prodieram. P. Quid prodieras? G. Ut curarem negotium aliquod, de quo pater ad me scripserat. P. A. quo petiisti veniam? G. Ab hypodidascalo. P. Cur non à me potius? G. Quia eras occupatus. P. Quid agebam? G. Alloquebaris in areâ quosdam viros honoratos, qui te conventum venerant. P. Abi, nunc recordor.

XVI.

Præmium victoriæ causa petunt pueri: datur à magistro, sed non sine admonitione.

Obligatur quis ex promisso. Solus Deus successum dat studiis. Sine Deo omnia vana.

HENRICUS. PRÆCEPTOR. HADRIANUS. NOMENCLATOR.

PRæceptor, visnè dare præmiolum? P. Quamobrem? H. victoriæ causà. P. Ubi sunt compares tui? Had. Adsunt Hugo & Audax. P. Heus Nomenclator, suntnè hi victores, hâc hebdomade? Had. Habent notas omnium pauciſſimas. P. Ergò sunt victores: quid aliud ex te quæro? Vos igitur quod præmium petitis? H. Quod tibi placuerit. P. Quo tandem jure debeo? H. Ex promisso. P. Æquum dicitis. Quicquid enim rectè promissum est, præstari debet. H. Sic ex te didicimus. P. Ecce vobis pennæ singulæ ad scribendum, ac ne putetis, vulgares esse: ex earum sunt genere, quæ vulgò Rugianæ appellantur.

H. Gratias agimus Præceptor. P. Quin potiùs agite DEO omnium bonorum auctori, qui dat studiis vestris successus prosperos: vos autem in literarum studio pergite diligenter. H. Dabimus operam, quantum juvabit ille pater optimus. P. Sine ejus ope vana sunt nostra omnia.

XVII.

Hugo, à Præceptore petens mutuò pecuniam, mittitur ad hypodidascalum.

HUGO. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, visne mihi mutuò dare aliquantulum pecuniæ? P. Quid opus est tibi pecunia? H. Ut Sylvio satisfaciam. P. Quantum debes illi? H. Assem cum semisse. P. Quo nomine? H. Quia scripsit mihi aliquot colloquia. P. Ostende. H. Vide, si placet. P. Adi hypodidascalum; dic ut det, quantum petis H. Gratias ago, præceptor. P. Non est quod agas: sed refer in codicem tuum. H. Quin jam retuli. P. Factum benè, ostende ipsi hypodidascalo.

XIIX.

A Præceptore chartam petens, ad ejus famulum mittitur.

JACOBUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, non restat mihi charta ad scribendum, visnè dare codicem? P. In quem usum? J. Partim ad colloquia, partim ad exemplaria. P. Retulisti in codicem tuum? J Retuli. P. Ostende. J. Ecce tibi Præceptor. P. Quid istud retulisti in codicem: vis ergò de majore? J. Si tibi placet. P. Pete à famulo: ac ne dubitet, ostende illi tuum codicem, ut idem in suum referat. J. Audio. P. Audi item:

item: cave abutaris chârta, ne tibi pater succenseat. J. Faxit DEUS, ut bene utar.

XIX.

Puer in villam à patre ablegatus, orat veniam, & testimonium se allaturum promittit.

ISAACUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor. P. Quid vis? I. Licetne mihi ire domum? P. Cur ante horam? I. Pater jussit, ut nunc abirem. P. Quid eget operâ tuâ? I. Vult me in villam mittere. P. Quid eò? I. Petitum uvas, & eadem opera nunciatum aliquid villico nostro. P. Quid si me fallis? I. Adferam testimonium ut soleo. P. Quando redibis? I. Horâ primâ, ut spero. P. Qui tam citò? I. Villa nostra non longe hinc est. P. Ito sanè.

XX.

Puer suam patri in scribendo navaturus operam à Præceptore petit veniam, & jubetur postero die afferre testimonium.

LAMBERTUS. PRÆCEPTOR.

LIcetnè abesse horâ secundâ? P. Quid habes negotii? L. Pater eget operâ mea. P. Qua in re? L. Ut sibi aliquid scribam. P. Sed interim non reddes, quæ præscripta sunt vobis? L. Jam edidici. P. Factum benè. L. Placetnè tibi audire me? P. Cras audiam, cum licebit per otium. L. Permittisnè igitur, ut absim, Præceptor? P. Age permitto: sed ita, ut crastino die scriptum adferas testimonium. L. Ego semper tibi adfero, aut à Patre scriptum, aut à nostro famulo, Patris nomine. P. Recte facit Pater, Sunt enim multi, qui me pa-

scunt mendaciis. Nunc abi, & patri dic salutem verbis meis. L. Faciam, Præceptor.

XXI.

Lucius scribendi causâ iturus ad tutorem, veniam impetrat, sed prius diligenter interrogatus.

LUCIUS. PRÆCEPTOR.

LIcetne mihi Præceptor, adire tutorem? P. quæ te causa movet? L. Jusserat ille, ut se hodie convenirem, si liceret per otium? P. Quando jusserat? L. Nudius tertius. P. Ubi illum vidisti? L. In areâ, quæ est è regione templi. P. At vide, ne mentiaris. L. A me absit mendacium. Si vis, dabo testes ex condiscipulis, qui mecum aderant. P. Qui sunt illi? L. Daniel & Corberius, visnè, ut eos accersam? P. Mane, ego illos conveniam. Sed dic, quid eget tutor opera tuâ. L. Ad aliquid scribendum. P. Quâ igitur horâ vis illum adire? L. Nunc, si tibi placet. P. Quando huc redibis? L. Quàm primum me dimiserit. P. Nunc abi, atq; illi ex me dic salutem plurimam. L. Faciam libenter.

XXII.

Ituri ad nuptias pridiè veniam petunt, ut domi vestimenta mutent. Admonentur paucis à Præceptore.

MARCUS. PRÆCEPTOR.

LIcetnè, Præceptor, ut ego & patruelis eamus domum? P. Quid eò? M. Ad nuptias consobrinæ. P. Quando est nuptura? M. Crastino die. P. Cur tàm cito vultis ire? M. Ut mutemus vestimenta. P. Per me licet, eatis: hac tamen lege, ut cras huc redeatis cubitum. M. Quid si volet patruus, ut exspectemus repotia. P. Non detinebit

nebit vos, satis scio: dummodo dicatis ei, quâ lege dimiserim. M. Verum fatebimur. P. Abite, & ab omni cavete intemperantiâ, faciteque ut luceat lux vestra coram omnibus, unde glorificetur noster ille cœlestis Pater. M. Ita quidem speramus fore, ipso nos in omnibus adjuvante.

XXIII.

Iturus ad forum. Proverbium de pane.

MARTINUS. PRÆCEPTOR.

LIcetnè exire, Præceptor? P. Quæ tibi est exeundi causa? M. Ut quæram in foro aliquem ex nostratibus. P. Quid istud opus est? M. Mandare illi volo; ut meos admoneat de pane mihi aut adferendo, aut mittendo. P. Ubi panis deficit, omnia sunt illic venalia. M. Istud vulgatum est apud nos proverbium. P. Imò ubique pervulgatum, adeò panis mortalium vitæ est necessarius. Sed ad rem, tu nunc prodire vis? M. Si tibi placet, Præceptor, ne mei negotii occasionem amittam. P. Abi & festina ante prandium redire. M. Dabo equidem operam.

XXIV.

Michaël ad forum iturus paucis interrogatur à Præceptore.

MICHAEL. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, licetnè mihi prodire: P. Quæ tibi est prodeundi causa? M. Est mihi eundum ad forum. P. Quid eò? M. Ut emam corium. P. In quem usum? M. Ad calceorum soleas. P. Quis te juvabit in emptione? M. Quidam oppidanus cui hoc mandavit pater meus. P. Debueras adi-

re me cum cæteris, qui ad forum prodierunt. M. Occupatus eram. P. Quâ in re? M. In scribendis ad Patrem literis. P. Quando eas dabis? M. Hodie; siquidem in foro nostratem offendero. P. Abi, & memineris ad horam solitam adesse. M. Meminero.

XXV.

Nicolaus & frater panem petitum ituri, diligenter à Præceptore, ne fallant eum, interrogantur.

Exemplum notandum ad idem, quod superius.

NICOLAUS. PRÆCEPTOR. NICOMACHUS. NOÆUS. pueri.

PRæceptor, licetnè cras ire domum? P. Quid eo? N. Petitum panem. P. Non tibi restat? N. Restat quidem, sed parum admodum. P. Quid frater? estnè tecum iturus? N. Jussit pater. P. Quando convenisti illum? N. Die Jovis, quum venisset in hanc urbem. P. Ubi illum vidisti? N. Apud forum. P. Non mentiris? N. Non mentior. P. Unde probabis? N. Sunt ex condiscipulis, qui aderant. P. Qui tandem. N. Adsunt Nicomachus & Noæus. P. Estne verum, pueri? Puer. Omninò verum. P. Qui scitis? Puer. Vidimus ejus patrem, & audivimus ipsa verba. P. Si ita est, permitto, ut eas domum cum fratre. N. Vale, Præceptor. P. Vos servet Dominus. N. Idem tibi precamur ex animo. P. Sed heus, quando huc aderitis? N. Crastino die vesperi, DEO juvante. P. Cura, ut promissi memineris. N. Curabo. P. Scilicet, ut soles. N. Imo melius spero. Numquid vis? P. Ut verbis meis salutem dicas parentibus. N. Fa-

N. Faciam libenter, iterum vale, Præceptor. P. Vos quoque valete: & lento gradu ambulate, propter æstum solis. N. Ita facere solemus.

XXVI.

Orontius sartorem aditurus.

ORONTIUS. PRÆCEPTOR.

LIcetne exire? P. Quò? O. Ad sartorem. P. Quid eò? O. Ut mihi tunicam faciendam metiatur. P. Quæ tibi est materia? O. Niger pannus. P. Ubi est? O In arcâ meâ. P. Sartor autem quis tibi est? O. Petrus Sylvius. P. Estne peritus artifex? O. Sic audivi: & est notus patri meo, qui jussit, ut illum adirem. P. Ubi habitat? O. In vico Xenodochii. P. Non nimis longè est, cave discurras. O. Cavebo. P. Facilè à me veniam impetrant, qui nunquam fallunt. O. Avertat DEUS, ut unquam fallam.

XXVII.

Paulus ad Sartorem iturus, & eadem opera ad tonsorem.

PAULUS. PRÆCEPTOR.

LIcetne prodire, Præceptor? P. Quo? Paul. Primum ad sortorem, deinde ad tonsorem. P. Cur ad sartorem? Paul. Ut curem tibialia reficienda. P. Suntne lacerata? Paul. Adeo lacerata, ut vix induere possim. P. Cur ad tonsorem? Paul. Ut illi ostendam ulcus, quod mihi his diebus subortum est in femore. P. Detege, ut videam. Paul. Vide, quando ita placet. P. Est furunculus. Paul. Ita conjiciebam. P. Quum aperueris tonsori, ro-

ga

ga illum, ut emplastrum ulceri aptum adhibeat. Paul. Faciam, quod suades. P. Sed numquis est, qui tecum prodire velit? Paul. Imò Johannes Fulvianus. P. Quod habet negotium? Paul. Tonsorem quoque vult adire. P. Ite igitur unà, & redite similiter. Paul. Numquid vis prætereà? P. Ut maturetis reditum, ne merenda vestrâ mulctemini.

XXVIII.

Petrejus de variis negotiis obeundis veniam petit.

PETREJUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, licetnè mihi exire? P. Quo tibi eundum est? Pet. Ad tonsorem. P. Non est tibi aliud negotium? Pet. A tonsore volo ire emptum ligulas, illinc me ad sutorem conferre. P. Cur ad sutorem? Pet. Ut uni ex calceis annectat corrigiam. P. Ista omnia quando confeceris? Pet. Intra horæ spatium, ut spero? P. Erunt multi fortasse in tonstrinâ exspectantes. Pet. Fieri potest: sed si videor, diutius mihi morandum illic esse, exspectabo in diem Sabbati. P. Estnè alius, qui prodire velit? Pet. Pontanus ait, se velle chartam emere. P. Scisnè illi opus esse? Pet. Scio. P. Ite igitur unà, curate diligenter suum uterque negotium, nec sitis cessatores. P. Deo juvante cavebimus.

XXIX.

De suburbana de ambulatione. Prætorius & Quintinus veniam impetrant eundi ambulatum, ut, cæteris ludentibus, liberius & jucundius colloquantur.

DEI laudandi argumentum cultoribus ejus nunquam deest. Præ-

PRÆTORIUS. PRÆCEPTOR.
QUINTINUS.

PRæceptor, licetnè pauca? P. Loquere. Præt. Nos duo proponebamus, si tibi ita videretur, ire, dum cæteri ludunt, foras ambulatum. P. Quò vultis exire? Præt. in proximam suburbanam. P. Quid autem agetis ambulantes; Q. Tractabimus colloquium aliquod. P. Sed de bonis & honestis rebus. Q. Hæc temporis serenitas, & tàm pulchra terræ facies præbebunt nobis honestum aliquod argumentum. Nunquam deest Dei laudandi materia, duntaxat veris ejus cultoribus. Præt. Nunquam profectò, sed ut ad propositum revertamur, permittis nobis, Præceptor, extra urbem prodire? P. Nisi mihi perspecta esset vestra perpetua fidelitas, & verus amor literarum, nunquam permitterem: præsertim, quum parvi adolescentes me sæpè in hoc genere fefellerint. Vos igitur prodite: deinde maturè ad cœnam revertimini.

XXX.

Robertus multorum nomine veniam petit prodeundi ad mercatum.

ROBERTUS. PRÆCEPTOR.

PRæceptor, licetnè nobis prodire? P. Estisnè multi, qui prodire vultis? R. Ferme omnes. P. Quid hoc sibi vult? R. Est hodie mercatus: inde fit, ut ferè sibi quisque velit aliquid emere. P. Nunc ego sum occupatior, quàm ut singulorum prodeundi causam possim cognoscere: adite igitur subdoctorem, qui cognoscat, & si va-

vacat, vos deducat ipse. R. Gratias agimus, Præceptor humanissime.

XXXI.

Iturus domum ob levem causam non impetrat, adeoque objurgatur.

Exemplum observatu dignum, ne pueris cursitare temere permittatur.

RUDOLPHUS. PRÆCEPTOR.

LIcetnè prodire? P. Quò? R. Domum. P. tàm sæpè itare domum? R. Mater jusserat, ut ego & frater se adiremus hodiè. P. Cujus rei gratiâ? R. Ut ancilla vestimenta nobis excuteret. P. Quid istud? suntne vobis pediculi? R. Et multi quidem. P. Cur uxorem meam non admonuistis? R. Non ausi sumus. P. Quasi verò illa sit usque adeò difficilis. Ancillam habet, eâ potissimum gratiâ, ut vestram omnium curet mundiciem: nec vos ignoratis illud, sed gaudetis, matris invisendæ occasionem vobis dari. Vos igitur manete: cras ego curabo, ut vobis excutiantur vestes. R. Sed mater nos objurgabit. P. Egomet eam placabo, quiescite.

XXXII.

Sebastianus jubetur scribere ad patrem cujusdam pueri de remittendo ad scholam filio.

PRÆCEPTOR. SEBASTIANUS.

HOdie igitur Petrum convenisti? S. Hodiè. P. Ubi? S. In templo. P. Quotâ horâ? S. Octavâ matutinâ. P. Nunquid rogasti, quando sit repeturus scholam? S. Rogavi. P. Quid ille? S Nescio, inquit. P. Debuisti illum ad reditum exhortari.

S. Id

S. Id ego feci & multis quidem verbis. P. Benè feciſti: ſed quid ille reſpondit? S. Se adhuc à Patre detineri, ad fructos colligendos. P. Quid ſi ad ipſum patrem ſcribas de ſtatu noſtro ſcholaſtico, ſortaſſe enim movebitur, ut filium citiùs remittat. S. Si tibi ita videtur, faciam, idque diligenter. P. Fac igitur primo quoque tempore: ſed audi, ſcribe pleniſſimè, deinde literas tuas mihi oſtende, priusquam des perferendas. S. Sedulò faciam, Præceptor.

XXXIII.

Puer interrogatus de abſentia cauſam adfert honeſtam, eamque ſcriptam profert.

PRÆCEPTOR. TIBALDUS.

QUid ſibi vult, quod abfueris hâc totâ hebdomade? T. Oportuit me manere domi. P. Quamobrem? T. Ut matri adeſſem, quæ ægrotabat. P. Quod illi officium præſtabas? T. Sæpiùs ei legebam. P. Quid legebas. T. Aliquid ex ſacris literis. P. Sanctum iſtud & laudabile miniſterium. Utinam ſic omnes ſtuderent verbo DEI! ſed quid, nihil agebas præterea? T. Quoties opus erat, illi miniſtrabam cum ancillâ. P. Hæccinè vera ſunt omnia? T. Habeo teſtimonium. P. Profer illud. T. Ecce! P. Quis ſcripſit? T. Famulus noſter, matris nomine. P. Agnoſco ejus manum: quia ſæpè ab illo mihi attuliſti. T. Licetnè igitur redire in ſedem meam? Pr. Quidni liceat, quum mihi ſatis feceris? T. Gratias ago, Præceptor.

XXXIV.

Argui-

Arguitur, qui exierat injussu Præceptoris, sed veniam exorat.

PRÆCEPTOR. TERENTIUS.

DEmiror, unde nunc venias. T. Domo redeo, Præceptor. P. Cur iveras domum? T. Petitum merendam. P. Quamobrem non attuleras? T. Mater erat occupata. P. Quid tum? debuisti exire injussu meo? T. Non debui, fateor. P. Quid igitur meruisti? T. Plagas accipere, sed ignosce mihi, quæso, Præceptor. P. Cur non petivisti exeundi potestatem? T. Quia non audebam te interpellare. P. Quid agebam? T. Tenebas libellum quendam, & legebas aliquid. P. Fieri potest: sed vos tamen sæpe me interpellatis ob rem leviorem. Nunc igitur para te ad vapulandum. T. parce mihi obsecro, Præceptor. P. Sine, ut priùs cogitem aliquantisper. Age, parco: tùm quia ingenuè confiteris, tum quod satis studiosus mihi videris. T. Gratias ago maximas, Præceptor humanissime.

XXXV.

Quidam puer patris nomine Præceptorem in hortos invitat. Præceptor obiter aliquid docet ad mores pertinens.

ADOLPHUS. PRÆCEPTOR.

SALvus sis, Præceptor. P. Auspicato advenis, quid nuncias? A. Orat te pater meus, ut animi causâ eamus unà in hortos suos suburbanos. P. Ad eam rem nos invitat serenitas: & nunc sumus feriati. Sed quid illic aspectu jucundum vide-

videbimus? A. Varias & pulchras arbores cum suis fructibus, item herbarum & florum miram varietatem. P. Nihil est illis rebus hoc tempore jucundius. A. Ea est Dei erga nos beneficentia. P. Quam quidem assiduis laudibus prosequi debemus A. Sed vereor, ne patri in morâ simus. P. Tantisper exspecta, dum togam muto, ut sim ad ambulandum expeditior. Jam paratus sum: nunc eamus. Sed estne domi pater? A. Præ foribus nos exspectat. P. Benè res habet: vide, ut eum decenter salutes. A. De hoc, te docente, sæpe admoniti fuimus.

LIBER QUINTUS.
DE
REBUS GRAVIORIBUS, QUÆQUE JUDICIUM REQUIRUNT ATQUE EXERCENT.

COLLOQUIUM I.
Nuncius lætus de Evangelio.
AARON. BAPTISTA.

ECquid habes novi? B. Accepi literas à fratre, qui Lugduni habitat. A. Quando accepisti? B. Heri sub noctem. A. Quis attulit? B Piscarius. A. Quidnam intellexisti ex istis literis? B. Omnia

benè illic habere, quod ad Evangelium pertinet. A. Veranè prædicas? B. Exſpecta, literas ipſas oſtendam tibi à prandio. A. Eſt profectò, quod noſtris fratribus gratulemur. B. Scilicet, quòdque DEO noſtro gratias maximas agamus. A. Id quidem præſtare debemus omni tempore: ſed nunc maximè, quum audimus ea, quæ ad gloriam ejus præcipuè pertinent. B. Utinam hoc ſemper habeamus in memoriâ! A. Communicabis igitur mecum tuas literas? B. Ut promiſi. A. Ergo poſt prandium. B. Etiam dubitas? A. Interea valè. B. Vale & ſalve, Aaron.

II.

Agitur de Evangelio diligenter audiendo, ut Deum ſecundum illud colamus, & juſtè ſobriè que vivamus. De vocibus item juſtè & ſobriè, quid nimirum illæ denotent.

AUGUSTINUS. BONIFACIUS.

CUr diligenter audire debemus Evangelium? B. Ut diſcamus DEum colere ex voluntate ejus A. Nihil aliud reſpondes? B. Quid reſponderem? Nihil enim ſcio præterea. A. Nonne etiam, ut ſobriè & juſtè vivamus? B. Declara mihi illa duo adverbia, quæſo. A. Sobriè, id eſt, continenter. Juſtè, id eſt, in juſtitiâ, nempe ut ſuum cuique tribuamus. Ita fit, ut ſobriè ad vitam cujusque privatam pertineat: Juſtè autem, ad charitatem, quam proximo debemus. B. Sed audi, mi Auguſtine. Nonnè cultus Dei omnia illa complectitur? A. Probe ſentis, Bonifaci? ſed volo experiri, an reſponſionem tuam rectè intelligeres.

B.

B. Bene feciſti. Nam de ſincero verbi divini intellectu nihil nimis dici poteſt. Et hâc de re quidem tecum pluribus verbis libenter agerem: ſed nos hora ipſa admonet, ut diſcedamus.

III.

Divinis rebus omnia poſtponenda ſunt: ſed ſæpè contrà fit. Homo ſemper homo eſt, niſi divino Spiritu renovatus.

Exemplum hominis qui eadem facit, quæ in aliis reprehendit. Turpe eſt doctori &c.

BAPTISTA. CLEMENS.

CUr non interfuiſti hodiernæ concioni? C. Occupatus eram in ſcribendis literis. B. Non poteras differre negotium? C. Urgebat tabellarii feſtinatio. B. Atqui Præceptor ipſe docet nos, omnia poſtponenda eſſe Dei negotiis. C. Docet quidem, neque id mihi dubium eſt; ſed nunquam ſumus adeò perfecti, quin ſæpè Deum terrenis rebus poſtponamus. B. Iſtud malum. C. Peſſimùm vero: ſed ſemper homines ſumus: niſi Deus nos Spiritu ſuo immutaverit. Sed dic quæſo, fuitne frequens auditorium? B. Non admodùm, pro more ſolito. C. Unde fit iſtud? B. Ignoras, nunc populum eſſe occupatum in vindemiis? C. Non ignoro: ſed non poſſunt homines divinis rebus unicam horam impendere? B. De hoc, non eſt meum, reddere tibi rationem; hoc tantùm dico: turpe eſt doctori, quum culpa redarguit ipſum. C. Papæ! quantum colaphum impegiſti mihi! Vale! verbum non ampliùs addam. B. Eſto igitur aliàs prudentior.

IV.

Puer à patre commendatus Præceptori. Verus amor patris in filium.

Correctio necessaria puero. Pœna etiam injusta ferenda est, & quare Christus pro nobis passus immeritò. Optatum pium & sanctum. Hortatio ad diligentiam. Exemplum pueri studiosi & obedientis.

BONIFACIUS. CLAUDIUS.

AUdivi patrem tuum venisse hodie in Gymnasium. C. Verum audivisti. B. Quâ venerat gratiâ. C. Ut pro meis alimentis Præceptori numeraret pecuniam: simul ut me illi commendaret. B. Nunquamnè te commendarat? C. Imò sæpissimè. B. Quid sibi vult ista commendatione tàm frequenti? C. Amore vero me prosequitur. B. Quid tùm? C. Ideò cupit me diligenter erudiri. B. Quid si commendet, ut sæpius vapules? C. Ea est fortasse causa: sed quid indè? non propterea me diligit minùs. B. Unde istud colligis? C. Quia puero tàm necessaria est correctio, quàm alimentum. B. Verum quidem dicis: sed pauci ita judicant. Nemo etiam est, qui non panem, quàm virgam malit. C. Illud est naturale omnibus: quis neget? Sed tamen patienter ferenda est pœna, præsertim justa. B. Hæc habetur in libello morali sententia.

Quod meritò pateris, patienter ferre memento.

Sed quid, si pœna sit injusta? C. Ea quoq; patienda est nihilominus. B. Cujus causa? C. Propter JEsum Christum, qui mortem injustissimam eamque acerbissimam tulit pro peccatis nostris.

B. Uti-

B. Utinam id nobis in mentem veniret, quoties aliquid patimur! C. Præceptor id nos sæpe monet, quoties occurrit occasio, sed surdis narratur fabula, ut est in proverbio. B. Ergò demus operam: ut simus posthac diligentiores. C. Ita faxit DEus.

V.

Officia domestici apud Ludimagistrum hypodidascali.

CLEMENS. Magister. DOMINICUS. hypodidascalus.

QUid, quod hisce diebus inter nos egeramus, satisnè cogitasti? D. Etiam atqve etiam cogitavi. C. Ecquid placet tibi conditio, quam obtuli? D. Maximè. C. Quid mensa seu victus? D. Nihil in ea re desidero. C. Quid restat igitur? D. Ut (si tibi non molestum est) præscribas mihi, quas operas à me tibi præstari velis. C. Id verè est æquissimum. Accipe igitur præcipua officii tui capita, quorum hoc primum est.

Quotidiè mane diligenter curare, ut omnes domestici mei discipuli maturè cubitu surgant, pro ratione temporis, tum hyberni tum æstivi. Ubi surrexint, ea curent, quæ ad cultum & munditiem corporis pertinent: postremò, ut adsint privatæ nostræ precationi.

Secundum, ter quotidiè in aulam deducere, manè scilicet, & ante horam undecimam ac tertiam pomeridianam: illic (nisi egomet adero) exspectare, donec aliquis ex doctoribus adfuerit: interea curare recitandos catalogos & precationem dicendam. Item observare sedulò,

num quis ex ipsis doctoribus absit ab auditorio suo: si quis aberit, mihi statim renunciare, aut ejus partes agere.

Tertium, manere cum pueris domesticis, quoties non docentur in scholis suis, intereà minores ad lectionem & scripturam instituere, cæterorumque repetitiones audire, quantum tempus & opportunitas patietur: omnes denique in officio retinere, admonere, arguere, objurgare, virgis etiam, ubi opus fuerit, castigare.

Quartum, feriatis diebus eos ad sacras conciones ordine deducere, ac domum similiter reducere.

Quintum, quoties ludere permissum erit, subinde observare, ne quid præter officium & bonos mores vel factis vel dictis admittant.

Sextum, suppeditare illis ex pecunia, quam tibi in manûs dabo, chartam, pennas, atramentum, & alia quædam, duntaxat parvi precii necessaria: eaque omnia in expensorum codicem referre. Id autem Mercurii & Sabbathi potissimum diebus fieri solet.

Septimum, quæ ad eorum libros, vestimenta, & curam corporis pertinebunt, non negligere, hoc est, interdum ab illis librorum & vestimentorum rationem exigere, valetudinis & cultûs corporis rationem habere, & alia ejusmodi, in pueris præsertim minoribus, curanda & observanda. Octavùm, docere pueros, tùm in classe mea, tum in cæteris, præter tres superiores, si quando necessitas postulabit.

No-

Nonum, interdum, si opus fuerit, me & domi & foris in privatis negotiis adjuvare.

Hactenus audisti, quæ mihi abs te præstari velim officia, quæque etiam ab aliis domesticis hypodidascalis exigere soleam. Eorum tamen omnium non adeò severus exactor fuero, quin ipse quoties per otium licebit, aliqua tibi remittam, in quibus ego quasi vicarii partes agam. Intellextin' hæc omnia? H. Ego verò diligenter omnia: sed unum te oro, ut ad memoriam renovandam, des mihi eorum commentariolum, & simul cogitandi ac deliberandi spacium. M. Quantum temporis postulas? H. Diem unum naturalem. M. Ego verò duos integros dabo. Intereà (ut cœpisti) nullo tuo sumtu nobis perges convivere & commorari, tàm liberè, quàm si esses domi tuæ. H. Istud non sine humanitate facis: quo fit, ut majori beneficio me devincias. M. Habebis à prandio, quod requiris, commentarium, quamprimùm meâ tibi manu conscripsero. H. Quid si mihi dictares? M. Malim egomet scribere, ne quid fortè inter dictandum excidat. H. Ut libet. VI.

Studiosus quidam adolescens apud familiarem conqueritur de habitationis suæ incommoditate ad literarum studia. Cupit in ædibus scholasticis habitare. Narrat cur non liceat. Accenditur â condiscipulo. Consultant unà de jucunda ratione ad rem perficiendam. Consilium proponit amicus, docetq; exequendi modum. Hortatur ad DEum invocandum.

Non prodest consilium, nisi juvante Deo. Deus, qui dat consilium bonum, dat etiam affectum.

CLAUDIUS. DESIDERIUS.

QUam doleo, me non interfuisse manè repetitioni vestræ! D. Cur non venisti in ludum citius, ut ferè soles? C. Me miserum! non surrexi in tempore. D. Quamobrem? C. Quia nemo expergefecit D. Quis solet te excitare? C. Hospes noster, aut ejus ancilla, sed absente illo, ancilla sæpè obliviscitur, aut certè negligit D. Ubi erat hospes? C. Sub auroram prodierat ad sua negotia, ut postea rescivi. D. Quid hospita, nihilne curat? C. Quid putas eam curare? quotidie, ex quo surrexit, semper intenta est partim curandis filiolis, partim cæteris domesticis rebus D. Nullosnè habes contubernales scholasticos? C Prorsus nullos. D. Ah puer infelix, qui neminem habes, quo cùm de studiis conferas! C. Ob eam rem mea est miserrima conditio, quantum ego judico. Non enim possum arbitrio meo studere, propter tantam mercatorum turbam, qui domum illam frequentant, & mihi toto die obstrepunt. D. Non habes tibi cubiculum? C. Quid mihi prodest habere? est enim ita conjunctum gradibus & cochlidiis, ut ne felis quidem ascendat aut descendat, quin feriat aures meas aliquis strepitus. D. Magna profectò molestia. C. Illa verò multo major, quod supra meum cubiculum est ampliſſimum conclave, ubi merces asservantur. Unde fit, ut horis omnibus aliquæ graves sarcinæ vel importentur, vel exportentur. D. O DEum immortalem! quomodo illic potes vivere? C. Quid ais, vivere? equidem

dem non vivo, sed langueo potius, neque unquam mihi videor esse liber, nisi quum sum in Scholâ tecum unà, & cum cæteris nostris condiscipulis. D. Quam doleo vicem tuam. C. Utinam mihi liceret tecum habitare in his ædib scholasticis! D. Nihil esset mihi jucundius: sed quid impedit? C. Patris vetus amicitia cum illo hospite meo. D. Deberes patrem admonere de studiorum tuorum incommodis. C. Sæpè quidem monui, & coram & per literas. D. Quid ille respondet? C. Frustra monetur, quasi surdo narretur fabula. D. Quid ita? C. Quia nunquam in discendi ludo versatus est: ideoque de studiorum ratione nihil intelligit. D. Ego tamen, si res mea ageretur, omnem moverem lapidem, ut voti compos efficerer. C. Quid si Præceptor ipse ad patrem meum scriberet? D. Nunquam istud illi persuaderes. C. Cur non? D. quia non vult ambire quempiam, ut discipulorum turbam sibi comparet. Abhorret enim ab omni tùm ambitione, tûm avaritiâ. C. Quid igitur mihi faciendum suades? D. Unicum habeo consilium. C. Ne mihi obsecro reticeas. D. Ea res per amicos tentanda est. C. Idem mihi quoq; aliquando in mentem venerat, sed nunquam ausus sum experiri. D. Quid dubitas? C. Vereor, ut hoc parum succedat. D. Rei exitus est in manu domini: sed quid tentare nocebit? C. Tentemus sanè. Nihil enim mali (ut confido) inde potest accidere. At ego nescio, quâ ratione hic utendum sit. D. Dic mihi, non exspectas, ut brevi pater in hanc urbem veniat? C. Spero venturum propediem. D. Quando igitur? C. Ad

Kalendas Quintiles. D. Optimè est. Scin' igitur, quid sit opus facto? C. Doce quæso. D. Fac singulatim convenias duos aut tres ex paternis amicis præcipuis, qui sunt viri graves & honorati: nempe ut valeat eorum auctoritas apud patrem tuum. B. Benè mones: quid illis dicam? D. Narrabis diligenter omnes incommoditates studiorum tuorum. C. Nihilnè amplius? D. Docebis insuper, quonam modo tibi provideri possit, ut tempus redimas: quod apud istum hospitem tàm miserè hactenus perdidisti: quod nisi eo remedio tibi maturè consulatur, actum esse de tuis studiis & eorum progressu. Denique ne antè desiteris monere, orare, obsecrare, donec persuaseris ut tibi promittant, se acturos esse serio cum patre tuo negotium. C. Quid si recusabunt? D. Vix fieri potest, ut recusent omnes. C. Non est verisimile, præsertim quum sint mei amantissimi, & mihi patris nomine gratificentur adeo libenter. D. Ad hæc, res ipsa urgebit eos, nempè tanta studiorum tuorum jactura. C. Pluribus verbis opus non est. Auxilio Dei fretus aggrediar primo quoque tempore. D. Sed interim memor esto, ut in divinas preces die nocteque incumbas. C. Ipso volente Deo, id curabo pro viribus. Satis enim scio nullum consilium mihi esse profuturum, nisi quoad ille juverit. D. Sed jam tempus est, ut domum te recipias, ne fortè hospes offendatur. Quid cessas? C. Cogito, ne quid prætermiserim, de quo esses admonendus. D. Si quid alterutri nostrum præterea occurrerit, cras otiosè tractabimus.

mus. C. Vale igitur, mi Desideri & perge, quæso, me tuis precibus adjuvare, quemadmodum juvisti optimo consilio. D. à Domino Deo profecta sunt omnia, qui ut consilium dedit, sic dabit effectum. C. Ita fore confido. Iterum vale. D. Vale. Claudi suavissime.

VII.

Quidam ultrò vult venire habitatum in Gymnasio: gaudet amicus ejus, eumque ad maturandum hortatur.

Patris lenitas in filium. Consilium ex DEO profectum.

Plerique pueri habitationem in scholâ tanquam carcerem refugiunt. Improbi adolescentes à studio probos absterrent. Aliquot genera exercitationis scholasticæ, præcipuè in Latine loquendo.

Hominum maledictis augetur opus Dei, tantùm abest, ut retardetur.

Præceptor in scholâ severior, quàm inter domesticos, & quare. Magistri gravitate schola in officio continetur.

Disciplinæ scholasticæ bona.

Quibus rebus inducantur adolescentes ad amorem literarum.

Præceptor bonus à studiosis diligatur. Disciplina severior quibus adhibenda. Mens bona & sincerum judicium à Deo. Exemplum rarissimum adolescentis, qui ultrò quærit in scholâ habitare.

DOMINICUS. ERASMUS.

NEscis, quid mihi his diebus in mentem venerit? E. Quid istud, quæso? D. Cogito in Gymnasium me recipere. E. Quid in Gymnasium ha-

habitandi causa? D. Non, ut inquilinus habitem, sed, ut vobis convivam in mensâ Præceptoris. E. O utinam istud ex animo ac verè diceres! D. Ex nostrâ mutuâ consuetudine atque amicitiâ deberes intelligere, me nihil apud te neque simulare neque dissimulare solitum. E. Planè istud jam pridem intelligo; sed audito ex te isto verbo, me rapuit affectus in eam exclamationem: ita prorsus oblitus eram mei. D. Non aliter dictum tuum accipio. Sed ad rem. Pater quidem non cogit me: sed ut ex vultu & verbis ejus satis video, id illi placet maximè. E. Nempe hoc illud est: novit pater tuus, vir prudentissimus, liberalia ingenia cogi nolle, duci facilè, sed tamen non dubito, id fieri divini instinctu numinis: tu verò quid judicas? D. In eadem sum sententiâ, præsertim, quum ego quoque in eam partem sponte propendeam. E. Magnum argumentum, istud esse ex Deo consilium. D. Id ego crediderim. Nam qui ad eam rem rogantur à parentibus, ferè quærunt subterfugia, quibus detrectent imperium. E. Ego (ut fatear ingenuè) aliquando id in me sum expertus, ante scilicet, quàm ingressus essem. Quid enim censes? audiebam ex istis Sathanæ mancipiis tot maledicta, tum de Præceptore, tùm de disciplinâ, ut mihi viderer carcerem aut pistrinum ingredi verius, quàm Gymnasium. Quod si tu quoque in aliquam ejusmodi pestem incidisses, non dubium est, quin illa manibus pedibusque obnixe conata esset te absterrere

rere ab isto sancto proposito. D. Nemini adhuc palam feceram. E. Quod scio, sed mihi istud excidit ex *Terentio*. Nunc pergamus ad reliqua. E. Quid restat, nisi ut DEUM preceris, & pergas naviter in sententiâ? D. Audies de quotidiano victu in vestrâ mensâ: de Præceptoris & hypodidascali facilitate in audienda prælectionum repetitione: de familiaritate Præceptoris in ipso convictu: de illo à cœna placido studiorum certamine: de liberalitate colloquendi per otium de honestis rebus: de liberâ inter vos reprehensione, de his (inquam) omnibus satis multa narrasti mihi alias, quæ quidem valdè placent omnia: mihi tamen nihil videtur utilius, quàm illa perpetua Latinè loquendi exercitatio. Quis enim major est studiorum fructus? Quid honestius? Quid jucundum magis? Præsertim, ubi alius alium sine odio aut invidia liberè reprehendit. E. Quid? quòd victi in earum rerum certamine pudore tantùm puniuntur, victores autem præmio donantur. D. Omnes denique vestræ exercitationes vel auditu ipso, me delectant mirifice. E. Quanto magis illud diceres, si videres ista, si, dum geruntur, interesses? D. Ego, DEO volente, interero. E. Utinam propediem? D. Ita spero quidem. Unus tamen restat mihi scrupulus, quo me facile, si voles, liberabis. E. Faciam bona fide, si potero; sed interim vide, ne nodum in scirpo quæras, ut anteà vidimus in Terentio. Age, qui tandem scrupulus iste est? D. Suspecta mihi est vestra disciplina scholastica: non, quod velim ob id incepto

pto desistere: sed ut alacrius veniam & jucundius; ubi eâ de re te audiero. E. Nisi tu is esses, qui (ut ego novi) me nec vanum nec mendacem existimas, equidem mallem de hoc omninò tacere, quàm ea tibi referre, quæ sentio. D. Quid ita tandem? E. Quia difficile est, ea verisimilia facere, quanquam alioqui verissima, quum de his vulgus hominum pessima quæque dicat & judicet. D. Quorsum illud, quæso? E. Nam improborum mendaciis adeò malè audit nostra disciplina inter istos idiotas, ut mirum sit, unum aliquem habitare in Scholâ nostra velle; tametsi quod est opus Dei, quò pejus audimus, eò plures ad nos conveniunt. D. Nihil opus est tàm longâ insinuatione: dic mihi planè omnia, ne timeas, non me absterrebis. *Omnia percepi, atque animo mecum ante peregi.* E. Adverte igitur animum: dicam brevissimè, quicquid alicujus esse momenti videbitur. Inprimis illud velim tibi persuadeas, Præceptorem esse nobis multò humaniorem, quàm in Schola appareat. Tàm enim familiariter versatur inter nos, quàm prudens pater solet inter liberos. Cur igitur, inquies, est palàm tàm severus? Respondeo, quia sine tali severitate (ut ex ipso audivi, quum aliquando familiari cuidam narraret) tanta turba Scholastica, tamquè variis moribus prædita, nec coërceri, nec in officio contineri posset. Suo enim quisque more, suo quisque arbitratu vellet vivere. D. Quin etiam miror ego mecum sæpissimè, tantam esse in totâ Scholâ reverentiam, tantum silentium, tantam deni-

denique modestiam. E. Multò magis mirarere, si unquam vidisses Scholas paganicas. D. Vidi aliquando, atque consideravi diligenter. Plus est silentii in Gymnasio nostro sexcentenario, quàm quadraginta puerorum, imò triginta, in istius Scholis trivialibus. Sed perge, quæso: vereor, ut sis orator Asianus. Jam enim incipit oratio tua quasi longius aberrare. E. Atqui etiam interpellas ipse. D. Nihil extra propositum dixi: sed nunc prosequere. Erasm. Vis in summâ dicam tibi? disciplina hæc domestica, licet paucis improbis odiosa videatur: bonis tamen & studiosis, propter utilitatem valdè placet. Nam si domi res esset dissoluta, quid bonis tutum foret, contra lascivorum & petulantium insultus? quæ nobis quies? quæ studiorum tranquillitas? Itaque disciplina ipsa veris studiorum amatoribus est perfugium, & quasi propugnaculum, non secus ac nautis portus in tempestate. Denique quisquis est inter nos pacificus, & ad recta semper agendum paratus, is est à disciplina tutissimus. Nec verò id agit Præceptor, ut nos plagis & verberibus trahat ad literarum studia: sed nos potius inducere nititur, his maximè rebus: honestâ & liberali tractatione, benevolentiâ, humanitate, facilitate morum, beneficiis, denique virtute, & studiorum amore. Ex quo fit, ut major pars nostrum sic affecta sit, utilli ex animo parere studeat: eum caveat offendere: eum tanquam parentem diligat, observet, revereatur. D. Alioqui discipulorum officio non fungeremini. E. Adsunt qui-

quidam verberones, qui nec DEum timent, nec parentes, nec verbera: qui & literarum studia oderunt cane pejus & angue, ut verbis utar Horatii: talibus, inquam, severa interdum adhibetur disciplina, quia videlicet necessitas cogit. D. Sat habeo. Nunc enim video, quorsum spectet vestræ disciplinæ severitas. E. Nimirum, ut mores bonos tueatur, malos autem ut corrigat, aut expellat. D. Ego disciplinam istam sanè deosculor, tantum abest, ut reformidem. Te autem, mi Erasme, amo quidem de istâ loquendi libertate, quâ mihi stimulos acriores addidisti. E. Ego verò immortales gratias ago patri cœlesti, qui tibi mentem bonam dederit, & sincerum judicium. D. Vale igitur, & me, si Dominus permiserit, exspecta in proximam hebdomadem. Iterum vale, & inceptum nostrum tuis precibus Christo commenda etiam atque etiam. E. Precor tibi noctem quietam, & somnum placidum.

IIX.

Tres pueri pædagogum suum quasi de improviso adeunt: suam quisque pronunciat sententiam, ut ipsos ducat deambulatum, ille concedit libenter. Sic Studiosos pueros tractare decet, ut sint ad suum munus obeundum alacriores.

DESIDERIUS, ERASTUS, FRANCISCUS pueri, FONTANUS, pædagogus.

Quod caret alterna requie durabile non est,
Hæc reparat vires, fessaque membra levat. Ovid.

D. Nec me offenderit lusus in pueris, est & hoc alacritatis signum. *Quintil.* F. Nulla res est, quæ per-

perferre possit continuum laborem. *Quintil.* B. Video, quorsum spectent ista, nimirum, ut vos ambulatum ducam; sed eandem cantilenam ferè recantatis, ut solent vestræ aviculæ. De. Quid ergo vis dicamus, Præceptor? P. Dicite posthac suam quisque sententiam ex Novo Testamento. E. Euge nihil erit nobis faciliùs, habemus enim in promptu multam earum copiam. Vis ergo Præceptor, ut jam nunc incipiamus? P. Sanè velim, quando, ut ais, tanta est vobis copia. E. Quis incipiet? P. Tu, Desideri, vis honoris tui causâ hujus rei specimen edere? D. Id ego libenter faciam; sed Dei honoris causâ. P. Laudo istud verbum; Divinus enim honor & gloria omnibus in rebus est præferendus. Eja incipe! si quid habes. D. Nisi abundaverit justitia vestra, plusquam Scribarum & Pharisæorum, non potestis ingredi in regnum cœlorum, *Matth. 5.* E. Depositio mendacio, loquimini veritatem quisque proximo suo, *ad Eph. 4.* Fr. Filii, obedite parentibus in omnibus, hoc enim placet Domino, *ad Coloss. 5.* T. Euge bonam speciem! videte, ut progressus respondeat, hoc est, ut pergatis in posterum diligenter. E. Qui nobis principium dedit, dabit idem successûs prosperos. F. Ita sperandum est. Parate vos, ut prodire maturemus. D. Mox aderimus paratissimi. F. Sumite suum quisque pallium, ut prodeatis honestiùs. Sed heus pueri! E. Quid vis, Præceptor? F. Videte, ut Psalmos etiam adferatis; alicubi in umbrâ cantabimus. E. Ita fiet ambulatio nostra jucundior.

IX.

Patientia in parvis excitata paulatim crescit. Volente Deo nobis accidunt mala. Providentia DEI, Memoria fluxa eam non exercentibus. Memoriæ exercendæ ratio. Negligentia. Spiritus DEI nos excitat.

Brevis exhortatio ad excutiendam negligentiam, pigritiam, tarditatem.

FRANCISCUS. GEORGIUS.

QUo ludi genere hodiè te exercuisti? G. Juglandum. F. Ecquid lucri fecisti? G. Imò perdidi. F. Fortuna igitur tibi adversa fuit. G. Nescio, quæ fortuna: tantùm scio, meâ culpâ id accidisse, sed ita volente Deo. F. Cur Deus id voluit? G. Ut hinc discam ferre graviora, quum acciderint. F. Quasi verò Deus lusiones puerorum curet. G. Curat profectò: quin etiam nihil fit in rerum natura sine divina providentia. F. Siccinè philosopharis? quisnam te ista docuit? G. Non tute audisti toties ex concionatore nostro? F. Fieri potest, ut audierim: sed quid agas? fluxa est mihi memoria? G. Nimirum, quia illam non exerces. F. Quomodo exercenda est? G. Primùm diligenti attentione, hoc est, diligenter annotando ea, quæ audimus, aut legimus, deindè eadem sæpè repetendo: denique docendo alios ea, quæ didicimus. F. Ista nobis sæpiùs inculcantur à Præceptore, sed me miserum quam supina est hæc mea negligentia: G. Sic sumꝰ omnes, nisi Spiritus ille Dei nos excitet. F. Quid igitur faciam? G. Expergiscere, mi Franciscе, toto animo, totisque viribus ad

Deum

Deum adspira! illum assidue & pio affectu precare: vigilans esto, parvos fugito, versare cum bonis, tum moribus facillimis effice, ut eos tibi familiares reddas. F. Quid tandem consequar? G. Rogas? si te istis moribus assuefeceris, Dominus Deus pro suâ clementiâ tui miserebitur, brevique animum tuum immutatum senties. F. O quàm opportunus hic mihi congressus fuit, obsecro te mi Georgi, ut sæpius colloquamur. G. Per me non stabit, quoties utique licebit per otium. F. Gratias ago maximas. G. Non est, quòd agas, recipiamus nos in auditorium.

X.

De negligentiâ quidam admonetur. Admonitio ad somniculosos. Præceptorum moralium usus.

Quotidiè proficiendum. Vita naturalis. Armis spiritualibus pugnandum cum vitiis.

FONTANUS. GERHARDUS.

NOn satis mirari possum, te non esse diligentiorem. G. Quâ in re videor tibi negligens? F. Quòd manè fere nunquam ades in tempore: atque indè fit, ut pene quotidie noteris in catalogo. Cur tu es adeò somniculosus? G. Mea sic fert natura. F. Corrige naturam istam, hoc est, naturæ vitium: quid tibi profuit Catonis nostri dictum? C. Quodnam, quæso? F. *Plus vigila semper, nec somno.* G. Ne plura: ego probe memini. F. Nihil prodest meminisse, nisi ad usum tuum accommodes. G. Utinam & hoc, & alia præcepta salubria tam facilè ad benè vivendi usum transferremus, quàm ea facilè ediscimus. F. Ut verum fatear, præcipere quàm præstare multo

est facilius. Sed tamen eniti debemus, ut vel monitis vel precibus proficiamus aliquid, & indies evadamus meliores. G. Qui non facit, ejus salus desperanda est: sed nihil difficiliùs emendatur quam naturale vitium. F. Omnia ferè vitia nobis sunt naturalia: nisi Dei bonitas servaret nos, essemus omnes sceleratissimi. G. Quid igitur faciendum? F. Fortiter cum vitiis nostris pugnandum est. G. Quo duce? F. Ipso Deo. G. Quibus armis? F. Divinis & Spiritualibus. G. Ubi tandem inveniuntur? F. in Epistolâ. S. Pauli ad *Ephes.* G. Quoto capite? F. Sexto. G. Quid si locum per me non intellexero? F. Non omninò intelliges, satis scio: sed Præceptor erit consulendus. G. Quid si mecum adfueris? F. Adesse volo, certum est, verùm captanda erit opportunitas. G. De hoc igitur aliàs consilium capiemus. F. Quando istud erit? G. Proximo Die Mercurii, si tibi ita videtur. F. Quotâ horâ? G. Post meridiem primâ. F. Placet sententia. G. Nunc igitur discedamus.

XI.

De studiorum tempore amisso. Ejus recuperandi spes, & quibus modis id fieri possit. Viva Magistri vox.

Hortatio ad animum bonum.

GEORGIUS. HERMINIUS.

TAntùm igitur hodiè à villâ revertisti? H. Hodiè tantùm, idque paulò ante prandium. G. Atqui dixeras, te futurum illic modò biduum. H. Ita sperabam fore, & sic pater promittebat. G. Quid igitur obstitit, quò minùs redieris citiùs? H. Mater me detinuit: tametsi etiam cum lacrymis eam obsecrarem, ut me missum faceret.

G. Sed

G. Sed cur te tamdiu remorata est? H. Ut se comitarer in reditu. G. Quid verò agebas intereà? H. Colligebam fructûs cum rusticis nostris. G. Quos fructûs? H. Quasi non sint tibi noti fructus autumnales & serotini, pyra, mala, juglandes, castaneæ. G. O jucunda exercitatio! H. Non est jucunda solum, sed etiam frugifera. G. Sed hoc malum, quòd interim quinque aut sex prælectionum fructus tibi periit. H. Non omninò periit, spero: curabo pro viribus, ut ex aliquâ parte recuperem. G. Quid facies? H. Describam, quam potero, diligentissimè. G. Quid tùm posteà? H. Ediscam ipsam auctoris orationem. G. Sed sententiam non satis intelliges. H. Ipsa me juvabit Præceptoris interpretatio, ut sensum magnâ ex parte assequar. G. Nec tamen id satis erit. H. Tu, si placet, aderis mihi per otium, ut conferamus unâ. G. Libenter equidem faciam: sed ne istud quidem sufficiet. H. Non habeo, quid possim ampliùs. G. Quantò præstitisset; vivam audire magistri vocem! H. Multò sanè præstiterat: sed quando id mihi non contigit, nec meâ culpâ factum est, nihil habeo, quòd me accusem, in hâc parte. G. Rectè dicis, fac igitur, habeas animum bonum. Nam quòd ego tecum pluribus verbis de hâc re disputavi, non ideò feci, ut vellem te adducere in desperationem, sed totum illud profectum est ex meo in te amore singulari. H. Haud mihi dubium istud est: quo fiet, ut majorem tibi habeam gratiam. G. Sed ecce, vocat nos ad cœnam tintinnabulum. H. Nuncius opportunus.

Præceptoris accusatio in vernaculè loquentes. Ejusdem ad Latinè loquendum exhortatio. Interpretatio edicti de vetito vernaculo sermone.

Male acturi quærunt latebras. Iniquorum perversitas. Nitimur in vetitum. Doctrina Christi & timor Dei avocant à malo. Exhortatio ad rectè vivendi studium.

GERHARDUS. HONORIUS.

ADfuisti matutinæ precationi? H. Adfui: tu verò ubi eras? G. Iveram ad patrem in cauponam. H. Quid eò? G. Heri vesperi jusserat, ut se convenirem benè manè. H. Qui ausus es tàm mane prodire, idque inconsulto Præceptore? G. Jam heri veniam impetrâram, antequam iretur cubitum: sed dic mihi, quid ille à precatione palâm admonuit? H. Audivi, inquit, esse inter vos, qui sæpè numerò vernaculè fabulentur; & nemo intereà vestrum mihi quicquam indicat: quod est argumentum consensionis omnium in eodem peccato. Hæc fuit accusationis summa: deindè in eandem sententiam multa dixit, quæ meminisse non potui. G. Sed quæ tandem fuit conclusio? H. Quamobrem, inquit, admoneo vos, ut alius alium ad Latinè loquendum cohortemini diligenter, & eorum nomina, qui parere noluerint, ad me quàm primùm deferatis, ut huic malo remedium adhibeam. G. Nullum igitur verbum licebit efferre vernaculum? H. Quantum ex verbis ejus colligere potui, non ita rem intelligit. Non enim, ut scis, usque adeò est severus exactor, ut statim puniat, si cui verbum aliquod inter colloquendum exciderit

derit. G. Aliquoties, memini, palàm dixit, edictum suum ad eos demùm pertinere, qui cùm latinè sciant, tamen semper latibula quærant, ut vernaculè fabulentur, idque de rebus ineptissimis. H. Ea est quorundam pertinacia, ut malint sæpissimè vapulare repugnando præceptis honestissimis, quàm laudari atque etiam diligi obsequendo. G. Meministi audire ex ipso Præceptore: Nitimur in vetitum? H. Memini; atque adeo est verissimum: tamen qui doctrinam Christi libenter amplectuntur, non studio peccant neque malitiâ. G. Istud præstat verus ille timor Domini. H. Tales igitur, quoad licet per naturæ infirmitatem, sedulò cavere nituntur, ne quid scientes faciant, dicant, aut cogitent, quo Deus vel minimùm offendatur. G. Ergò studeamus rectè vivere, Dei nostri parere voluntati: non modò ne vapulemus, sed magis, ut illi optimo Patri nostro placeamus. H. Ita fiet, ut verè simus non tenebrarum, sed lucis filii. G. Sed de his aliàs pluribus: nunc ad disputationes recipiamus nos. H. Ecce vocat signum.

XIII.

Discessurus quidam ante vocationem scholasticam reprehenditur à condiscipulo.

Consilia humana à Deo reguntur. Sua cuique tractanda scientia. Modestè sapiendum.

HERMINIUS. JACOBUS.

TU igitur cras, ut audio, discessurus es? J. Cras, si Dominus permiserit. H. Eho! cur tâm citò? J. Urget me pater. H. Imò tu urges patrem. J. Itanè tibi videtur? quomodo patrem urgere pos-

sum? H. Assiduâ missione literarum. J. Tantùm semel scripsi, instare vocationem Scholasticam. H. Quando misisti literas? J. Hebdomade superiori. H. Quo die? J. Veneris. H. Quid facies domi? J. Instat vindemia: interim colligendi sunt fructûs arborum. H. Poteras exspectare dimissionis diem. I. Nescio, quando sit futurus. H. Spero, fore ad finem proximæ hebdomadis. J. Sed istud non est in nostro situm arbitrio. H. Ne in Præceptoris quidem. J. Cujus igitur? H. Solius Dei, qui hominum consilia suo nutu gubernat. J. Atqui Satanas videtur interdum gubernare. H. Quantum Deus ipse permittit. Sed ista sapientioribus relinquamus. J. Tutius est: monet enim proverbium: ne sutor ultra crepidam. H. Sæpè istud ex Præceptore audivimus. J. Idem quoque non semel docuit nos illam Pauli sententiam: noli altum sapere: sed time. H. Illud etiam frequenter habet in ore: Altiora te ne quæsieris. J. Sed audin'tu, ad cœnam signum dari? H. Adhuc pulsat aures meas tintinnabulum. J. Eamus in aulam, ne desimus precationi. Cras ante discessum te salutabo. XIV.

In vacatione Scholasticâ studiosi adolescentes libenter quidem relaxant animos, non tamen omninò cessant, nec otio illo per ignaviam abutuntur.

Fides etiam inimico servanda. Agendi affectus addit celeritatem. Solus DEus suorum ductor. Exemplum studiosis observatu dignissimum.

HONORIUS. JUSTUS.

FUistinè hodiè in Gymnasio? J. Ubi ergò fuissem: tu verò quid agebas? H. Eram domi occupa-

cupatus. J. Id evenit præter morem tuum, soles enim abesse rarius. H. Quàm possum rarissimè, quid autem actum est? J. Nihil prorsus. H. Ergonè remissionem habemus? J. Certò. H. Quamobrem? J. Propter mercatum hodiernum. H. Quis dedit? J. Ludimagister: permissu tamen Rectoris. H. Quid concessit? J. Vacationem ab omni munere Scholastico. H. An in totum diem? J. A mane ad occasum usque solis, tametsi diligenter, & multis quidem verbis, admonuit, ut in otio de negotio cogitaremus, ne cras in ludum veniremus imparati. H. Quid igitur, nos hoccine abutemur otio? J. Id verò ætatem nostram decet minimè. H. Tu ergò quid paras facere? J. Me recipere in musæolum, nisi fortè tibi magis placet, ut sesquihoram aliquò prodeamus ambulatum. H. Egonè recusarem? Imò, nihil est, quod nunc magis velim, nam & nos interea tractabimus aliquem sermonem literarum, & simul corpus exercebimus. J. Eamus igitur extra muros. H. Quònam? J. Usque ad ripam lacûs. H. Valdè istud mihi arridet: sed tu, si placet, me exspectabis. J. Quamdiu? H. Tantisper, dum crepidas eo mutatum calceis. J. Ubi vis exspectari? H. Ad portam Franciscanam. J. At vide, ne me fallas. H. An ego amicum fallerem, quum scio, etiam inimico servandam esse fidem? J. Abi, festina. ego, dum te opperior, aliquid interim legam. H. Salve Juste. J. Quis iste salutator? H. Ecce redii. J. Eho! tàm citò! mihi videris volasse. H. Nimirum affectus ipse pedibus alas addidit. J. Eamus nunc

ducente Deo. H. Solus Deus est, qui suos ducit ac reducit. J. Maturemus, satis longè hinc lacus abest. H. Tantò meliùs prandebimus, perge.

XV.

De exercitationibus post vacationem scholasticam revocatis. De classium probatione ante promotiones. De spe præmii. De eâdem in adversis rebus. De fructibus autumnalibus. De maximo vini proventu. De abusu vini in summâ copiâ. De admonitionum contemtu. De iis, qui se dociles præbent, ad verbum Dei audiendum.

JACOBUS. LAMBERTUS.

SAlve, Lamberte optatissimè! L. Salve & tu vindemiator jucundissimè! J. Quomodo se habet schola? L. Optimè. J. Jamne redierunt multi? L. Vix quarta pars nunc abest. J. Quid agitur? L. Docetur, legitur, scribitur, repetitur. J. Ista sunt generalia & quotidiana: sed quid fit in nostrâ classe? L. Idem, quod fit in cæteris, & quod fiebat ante vacationem. J. Ergonè jam seriò habentur prælectiones? L. Jam abhinc octo dies. Nam quid aliud fieret? J. Solebamus per aliquot dies exerceri, in iis repetendis, quæ anteà didiceramus. L. Tribus diebus totis nihil aliud actum est. J. Quid probatio? Jamnè incepta est? L. Hui incepta! propemodum finita est? cras sexta classis interrogabitur. J. Me miserum! excluſus sum à præmio. L. Etiamnè præmium sperabas? J. Quidni sperarem? unicuique sperare licet, præsertim studioso. L. Malim ergò nihil sperare. J. Quid ita? L. Nam si nihil contigerit, nulla mihi erit frustra-

ſtratio, neque moleſtia; ſin conſequar aliquid, id ego in lucro deputabo. I. Nunquamnè legiſti?

Vivere ſpe vidi, qui moriturus erat.

L. Imò verò legi, & memoriâ teneo: ſed hîc nihil ad propoſitum. I. Cur non? L. Quia illic loquitur Ovidius de ſpe illa, quæ in rebus adverſis retinenda eſt, quem ſenſum expreſſit Cato hoc Diſticho:

Rebus in adverſis animum ſubmittere noli.
Spem retine, ſpes una hominem nec morte relinquit.

I. Tu igitur nihil ſperas? L. Spero vitam æternam. I. Dicebas modò, ſperandum eſſe in adverſis rebus. quæ tibi ſunt adverſa? L. Ea, quæ me oppugnant quotidie. I. Quæ tandem ſunt illa? L. Propria caro, Satan, & improbi homines, qui me injuriis afficiunt. I. Ex quo tempore factus es Theologaſter. L. Nec ſum Theologus, nec Theologaſter: ſed quod dico, id ego didici è ſacris concionibus. I. Laudo equidem: ſed agè, dic mihi ſeriò, eſtne acta claſſis noſtræ probatio? L. Jam tibi ſeriò dictum puta. I. Dolet mihi non interfuiſſe. L. Citiùs veniſſes, quid agebas? I. Mater me coëgit vindemiæ exitum exſpectare. L. Credo: ſed tuâ voluntate coactus es. I. Ut fatear ingenuè, libenter exſpectavi; ſed quid agas? homines ſumus, ut ajunt. L. Imò pueri. I. Sed vix credas, quam ſit jucundum ruſticari, præſertim ubi tanta eſt omnium fructuum affluentia. L. Eſtne vobis magnus vini proventus? I. Tantus profectò, ut majorem vidiſſe non meminerim. L. Quid ajunt ruſtici in hâc tantâ ubertate? I. Nihil aliud, quàm potationes & crapulas

pulas crepant, quin etiam vino jam perindè abuntur, quasi aqua fontana sit. L. Ea est stultæ plebis dementia, ut DEI beneficiis nunquam rectè uti sciat. I. Scilicet illud est, quod dicitur: Nunquam sapiunt stulti, nisi in angustiis. L. Ergò plectuntur meritò. I. Quid quod admonitiones etjam irrident? L. Sunt, qui nullam omninò ferre possunt? quin benè & comiter etiam monentibus irascuntur. I. Audi aliquid gravius: fuerunt, qui mihi verbera minarentur, quum eos humanissimè admonerem. L. Istud mihi novum non est. Nam & quidam mihi aliquando pugnum intentavit: quod nisi veritus esset mei patris auctoritatem, profectò vapulassem acerrimè. I. Sed omittamus eos, quia cœci sunt: nec tamen, se tales esse, intelligunt: jactant se probè callere, quid sit Evangelium, quum reverà Evangelio adversentur. L. Si verbi divini ministros & pastores suos non audiunt, qui putas fieri posse, ut nos audiant? I. Sequamur ergò, quod præcipit Christus: Nolite Sanctum dare canibus. L. At sunt quidam simplices & benevoli, qui auditione verbi divini mirum in modum delectantur: hi sunt, quos docere est jucundissimum. I. Quàm gaudeo, quoties in tales incido! ut ego illos complector libenter? L. Nec immeritò, nam ubi eos docueris, tùm demùm frueris laboris tui fructu, non sine voluptate maximâ. I. Sed nos quid cogitamus: non vides, ut nox ferè nos oppresserit? L. Discedamus igitur: & cras si Dominus permiserit, pluribus verbis agamus unà de studiis alacriter repetendis.

XVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815316895/phys_0190
DFG

XVI.

Ludovicus à Præceptore deprehensus in delicto amicum Justum consulit, quo remedio pœnas evadat.

Deo volente adversa nobis accidunt. Falsò nobis adscribimus, quæ soli Deo tribuenda sunt. Cupediæ tentant pueros.

Magistri in pueris deprehensis prudentia. Excusationes frivolæ.

Pœnarum metus ad remedium quærendum impellit. In adversis ad Deum in primis confugiendum est. Consilium sine Deo nihil prodest. Salus omnis à Deo speranda.

Præceptoris prudentia in tractanda ingeniorum varietate. Consilium utile ad pœnas evadendas.

Occasio captanda in adeundis hominibus. Exemplum fidelis amicorum consilii in rebus adversis.

JUSTUS. LUDOVICUS.

QUid est, quòd ita te tristem video? L. Me miserum! vix sum compos animi: ita sum timore perculsus. J. Quid inquam istud est? L. Præceptor nos deprehendit. J. Quâ in re? furtonè. L. Ah! minimè gentium. J. In quo igitur? L. In secretâ compotatione. J. Indignum facinus. L. Heu me miserum, quid agam? I. Ah ne te afflictes tantopere; qui aderant tecum? L. Fluvianus & Forensis: ô perditos, qui me huc impulerunt! J. Ubi id factum fuit? L. in cubiculo Fluviani: qui utinam hodie è lecto non surrexissent! J. Quomodo tandem deprehensi estis? non erat obseratum cubiculum? L. Imò, erat, sed ut scis Præceptor claves habet omnium conclavium: præterea putabamus, illum in hodiernum fratrum conventum accessisse,

fisse, alioqui pessulum obdidissemus ostio. J. Utcunque res habet, Deo volente accidit. L. Sic omninò sum persuasus; sed ferè ita solemus nostra omnia sive bona, sive mala, vel prudentiæ nostræ attribuere, vel imprudentiæ. J. Qua occasione compotationem istam occœperatis? L. Illi duo, quod satis nosti, non sunt convictores. J. Quid tùm? L. Domo allatæ fuerant eis ad victum, nescio quæ, cupediæ, quæ utinam in via periissent! J. Sed noluit Deus: perge. L. Et quia illos interdum per otium doceo, heri post cœnam ad istas epulas me invitarant in hodiernum jentaculum: J. Sed quid? eratne vinum? L. Imo plus satis erat vini. Habet enim vini doliola in cella Præceptoris. J. Quid Præceptor, ubi vos sic epulantes vidit? annon exœanduit gravissimè? L. Nihil prorsus commotus est: sed subridens, volo, inquit, & ego esse de isto symposio, si placet. J. O molestum convivam! quid vos? L. Attoniti omnes obmutescimus. Nam eo dicto, statim se proripuit. J. Omnia signa video hic esse pessima. L. Quis ita non judicet? J. Oportet Præceptorem aliunde rem olfeciisse. L. Suspectus est mihi quidam, qui nos indicaverit. J. Quem suspicaris? L. Dicam tibi post rei exitum. J. Quod invenies huic malo remedium? L. Nescio: valde stupemus omnes: tametsi duo illi convivatores mei nihil videntur esse soliciti, habent enim in promptu causam. J. Quid tandem causari queunt? L. Iveramus jentatum, inquient: quia manè, quum cæteri jentarent, eramus cum Parentibus, qui heri nobis attulerant

rant alimenta. J. Istud quidem est aliquid: sed non tamen sic pœnas evadent. L. Cur non? J. Quia id fieri debuit in triclinio palam, non autem clanculum in cubiculo. Illud etiam causam gravabit, quòd te, quum sis convictor, quasi ad crapulandum adduxerint: quod quidem ipsi Præceptori est maximè odiosum: tua tamen causa est longè pessima. L. Cedo igitur, quid faciam, mi Juste? J. Agè, conferamus consilia, quibus (si fieri potest) absolvaris. L. Nihil est, quod à me exspectes in eo genere: neque enim consilii locum habeo, neq; ullam remedii copiam. Sed tu, obsecro, explica vires ingenii tui, ad me citò juvandum. Animus pendet mihi, instat pœna, satis vides; ea, nisi quid impediat, post cœnam exigetur. J. Id nequaquam fiet, quum enim crimen publicum non sit, non erit pœna publica. L. Sivè publicè, sive privatim id futurum est, non differetur. J. Rectè judicas. L. Id causæ est, quamobrem nunc ad opem tuam confugerem, quod si me deseris, actum est, dabo pœnas gravissimas. J. Ad Deum potiùs confugiendum fuit, sine quo nullum valet consilium: à quo item salus omnis & petenda & speranda est. L. Res est manifesta satis: & ego, priusquàm te adirem, non prætermisi precandi officium: sed tamen vult ille pater clementissimus, ut iis utamur auxiliis, quæ nobis offert ipse & quasi in manum dat. Quare te oro, per nostram arctissimam necessitudinem, ut consilio tuo nunc mihi succurras, hic non est cessandi, aut tardandi locus: huc igitur vires tuas intende: hanc causam

sam susçipe, obsecro. J. Quando quidem sic instas, ut vim adferre quodammodo videaris, dicam ex animo & verè, quod sentio. Nostin' Præceptoris ingenium? L. Novi, opinor, ex parte aliquâ. J. Ergò memoria tenes, nihil esse illo clementiùs erga eos quidem, quos videt summissos esse, & culpam ingenuè confiteri, superbis autem & contumacibus vix aliquid potest ignoscere. L. Egomet ista non semel observavi. J. Scin' igitur, quid facies? L. Dic mihi quæso. J. Dum tua res adhuc integra est, tibi suadeo, ut hominem solus adeas in musæum: & orationem habeas in hanc sententiam: En ego, Præceptor humanissime, graviter peccavi, fateor: sed, ut scis prima est noxa, quam admiserim. Nunquam enim anteà quidquam admisi, quod flagris dignum videretur. Quamobrem, Clementissime præceptor, hanc primam culpam, si tibi placet, pristinæ integritati meæ condonabis. Quòd si unquam posthac recidero, causam non dico, quin plectar severissime. Hâc aut simili oratione illum, ut spero, exorabis. L. O consilium prudens & opportunum! J. Utere, si tibi videtur, tale certè est, quale mihi dari velim in ejusmodi malo. L. Sed unum restat, de quo sum solicitus. J. Eho! quid restat? L. Non potero tàm breviter & commodè dicere, in conspectu Præceptoris, quàm tu nunc dixisti. J. Non debes adeò de verbis meis esse solicitus, modò teneas sententiam. L. Propemodum teneo. J. Benè habet: scribe nunc crasso modo, ut poteris: deindè conferemus

mus una: postea edisces ad verbum diligenter. L. Hoc nihil est neque tutius, neque certiùs, sed quo tempore censes illum adii posse opportunè? J. Quum primùm videbis, eum a prandio se recipere in Bibliothecam: aut si fortè, ut solet, ambulatum in horto solus iverit, tunc illum statim sequere. L. Quônam utar exordio? J. Non opus est alio, quàm quo apud illum uti solemus omnes. L. Quod est illud? J. Præceptor, licetne pauca? L. Benè vertat DEus omne consilium tuum. Nunc eo scriptum quod dixisti: deinde te revisam. J. Matura; nam instat hora prandii.

XVII.

De moribus adolescentis ingenui, tam absente patre, quàm præsente. De quarto Decalogi præcepto. Locus Pauli de honore liberorum erga parentes.

Exemplum simulatæ repugnantiæ ad eliciendum colloquium.

LAMBERTUS. MARTINUS.

PAter tuus, ut accepi, rediit è Galliâ. M. Rediit sanè. L. Quando? M. Die Lunæ vesperi. L. Adventus ejus non tibi molestus fuit? M. Quid molestus? imò vero jucundissimus: sed cur istud rogas? L. Quia forsitan, illo absente, liberius vivendi tibi est potestas. M. Nescio, quam mihi libertatem narres. L. Potandi, ludendi, cursitandi. M. An igitur putas, me nihil aliud agere, dum pater abest? L. Sic ferè solent omnes. M. Dissoluti quidem. Nam quod ad me attinet, absente patre sic vivo, ut eo præsente. Non poto, sed bibo, quantum satis est ludo, quum tempus postulat:

non discurro, sed cum bona matris venia in publicum prodeo, quum aliquid habet negotii. L. Etiamne matri tantopere subditus es? M. Æque ac patri, quid enim putas? nonne de utroque æquale est præceptum Domini? Honora, inquit, patrem tuum, & matrem tuam. Quid Ethnicus ille auctor distichorum moralium?

Dilige non ægra charos pietate parentes:
Nec matrem offendas, dum vis bonus esse parenti.

Quid Paulus noster? Filii, obedite, inquit, parentibus in Domino. Nonne parentis nomine pater & mater continentur? L. Istud à latinis observatur auctoribus. M. Quin etiam, si quod esset reverentiæ discrimen, videremur optimo jure plus debere matribus, ut quæ dolores tantos ac labores propter nos pertulerunt. L. Novi ego ista: & quæ dixisti, placent mihi omnia. M. Cur ergò mihi repugnabas? L. Ut eâ quasi repugnantiâ nobis accerserem sermonis materiam. Nam, ut tutè nosti, Præceptor sæpe nos exhortatur, ut nostrum otium in ejusmodi sermonibus impendamus. M. Bonum sanè otium, quod honesto in negotio consumitur. L. Huc pertinet illud Africani apophtegma, qui dicebat, se nunquam minùs otiosum esse, quàm quum otiosus esset, ut ex Cicerone didicimus. M. Sed jam tempus monet, ut huic sermoni finem imponamus. L. Rectè mones, fortasse enim tuâ causâ cœna tardatur domi. M. Plura (si Dominus permiserit) in proximo congressu. L. Precor tibi noctem prosperam. M. Et ego tibi placidam per membra quietem.

XIIX.

XIIX.

Quidam consolatur amici desiderium ac dolorem de patris absentiâ.

Exemplum charitatis in afflictis consolandis.

LUDOVICUS. MARCUS.

SUbtristis mihi videris, Marce, quid rei est? M. Dies noctesque de patre absente cogito: & ob eam rem interim mœrore conficior. L. Quàmpridem abest. M. Quatuor abhinc menses. L. Nihil ad vos intereà scripsit? M. Ex quo discessit, ne verbum quidem audivimus. L. Fieri potest, ut scripserit, sed aut literæ interciderint, aut fuerint interceptæ. M. Quod dicis, veri simile est. Nam antea, ubicunque esset, solebat nobis scribere. L. Nonnè hac æstate iverat Lutetiam? M. Eo certè consilio tunc sese in viam dederat. L. Confido salvum esse. M. Ego quoqe non diffido: sed non ideò meus allevatur dolor: L. Quid ait mater? M. Ferè semper lamentatur: indè fit, ut mihi duplicetur ægritudo. L. Sed tamen non usque adeò te macerare debes. Potius enim de illo benè sperare oportet, quàm te sic macerare. Quid enim sunt quatuor menses, quotula est pars eorum, qui tot annos domo absunt, interim jactati *per varios casus, per tot discrimina rerum?* M. Sed quid me consolantur aliorum casus & pericula? L. Vide tamen, ne sis nimium delicatus, qui patris desiderium tantillo tempore ferre non queas. M. Ferrem equidem æquo animo, modo, illi bene esse, saltem intelligerem. L. Cui potest esse malè, qui in DEO spem omnem collocavit:

sive enim vivimus, sive morimur, DEI semper sumus: ut divus Paulus. M. Nihil dubito, istud esse verissimum: sed ea est carnis hujus infirmitas. L. Quid faceret igitur, qui in Christo spem nullam habet? M. Nescio. L. Sed cave tamen, ne ista tuâ impatientia DEus ipse offendatur. M. Delictum meum subinde agnosco, & supplex imploro veniam. L. Facis, ut debes. Sed audi, quæso, quid mihi nunc in mentem venerit. M. Quid istud est? L. Quid si pater tuus navigaverit in Britanniam, negotiandi causâ? Illic enim nunc est libertas maxima. M. Quam libertatem dicis? L. Evangelii, quod illic auditur liberrime. M. Ain tu, Evangelium nunc esse in Britanniâ? L. Certa res est. M. Atque idololatriam profligatam? L. Omninò. M. O auditu jucunda Evangelia! L. Imò jucundissima. M. Sed unde scis ista? L. Unde sciam rogas? miror ego, te adhuc ignorasse, quod in ore est omni populo. M. Mirari desines, si scias, ubi nos habitemus. L. Ubi quæso? M. In angulo totius urbis remotissimo. L. Atqui putabam, vobis esse domicilium in vico ad Rolandum. M. Jam antè migraveramus, quam peregrè pater esset profectus. L. Quod igitur ignorabas, nunc habeto certissimum, utque magis credas, hoc audi præterea, major pars Britannorum, qui ob Evangelium in hanc urbem, tanquam ad asylum, sese receperant, in patriam remigrant, jam ante dies quindecim. M. O mi Ludovice, quantum me isto nuntio de Britannicis rebus hodiè recreasti! qualem adhibuisti meo dolori medicinam.

L. Sic

L. Sic solet DEus noster suis adesse in extremis angustiis. M. Mirum, ni pater est in Britanniâ, jampridem enim sæpius querebatur, quod non esset tutus illuc accessus, ad mercaturas obeundas. L. Quin etiam Britannus quidam, homo neque levis neque nugator, narrabat his diebus patri meo, se literas certas illinc accepisse, in quibus hoc erat inter cætera, omnes undique ob Christi nomen profugos in ipsa Britanniâ excipi humanissimè, tractarique benignissimè. M. Quid est igitur, quòd ampliùs dubitemus? L. Nulla, ut audis, restat eâ de re dubitatio. M. Tantùm supereſt, ut in primis Dei Optimi Maximi bonitatem extollamus, quantâ possumus laude & gratiarum actione: deinde sedulò atque assiduè precemur, ut sua beneficia non modo confirmet, sed etiam indies magis ac magis augeat. L. Igitur, mi Marce, memineris patris salutem ipsi DEO per Christum sæpissimè commendare, idque votis & precibus ardentissimis. M. Utinam ille suo Spiritu sic afficiat animum meum, ut ex imo pectore ejusmodi preces effundere valeam, quas ipse dignetur exaudire. L. Votum sanctissimum, modò, quod quidem credo, ex animo profectum. M. O mirabilem consolatorem DEum nostrum! O quantum valet in adversis rebus veri amici consilium & consolatio! L. Sed quò nunc is? M. Domum rectà propero, ut hæc matri quàm primum nunciem, atq; ejus animum omni expleam gaudio. L. Faxit Deus, ut illa seriò exhilaretur. M. Ita precor.

XIX.

Nicolaus narrat Martino de inopinato patris adventu, ab falsum de morbo rumorem.

Citò iraſcens facilè placatur. Ira puerorum brevis. Exemplum paternæ diligentiæ in liberorum cura. MARTINUS. NICOLAUS.

QUâ pecunia emiſti librum iſtum? N. Quâ cenſes, niſi meâ? M. Miror, undè habueris. N. Quid miraris? An tibi debeo reddere rationem? M. egonè exigo? N. Videris exigere. M. Non exigo, inquam, ſed ſic ſolemus inter nos familiariter & liberè fabulari, ut latinè ſemper condiſcamus aliquid. N. Ea res, fateor, plurimùm confert nobis ad latinè loquendi facultatem. Sed nemo eſt tàm lenis, quin interdum, ſubiraſcatur. M. Eſt, ut dicis; ſed eſt brevis puerorum ira. N. Quòd autem de pecuniâ rogabas, eam à patre acceperam. M. Quando venerat? N. Abhinc octo dies. M. Miror, quòd ego non viderim. N. Non eſt, quòd mireris. M. Quid ita? N. Quia vix ſesquihoram hic moratus eſt. Quum enim de equo deſcendiſſet, meque paucis eſſet alloquutus, aſcendamus, inquit, in tuum cubiculum, ut tecùm liberius colloquar. M. Sed antequam narras cætera, velim ſcire, quid ſibi vellet adventus ejus tàm inopinatus. N. Falſo quodam rumore, ut fit, audierat, me ægrotumeſſe. M. Quid ille, quum præter ſpem te valentem invenit? N. Mirificè affectus eſt gaudio. M. Quis dubitet? N. Præterea, Deo optimo maximo maximas egit gratias. M. Libenter hæc audio: perge quæſò. N. Tunc me de valetudine percontatur: unà precamur,

non

non sine gratiarum actione: tandem quærit, ecquid mihi opus sit. Opus, inquam, pater. Quâ, inquit, re eges? libro, inquam, decem assium. Tùm ille promite marsupio decussem: eum mihi in manum dat, & valedicto, statim conscendit equum, atque abit. M. Cur tibi plus dedit, quàm petiveras? N. Istud ineptè quæris. Scilicet, ita lætus erat, quia me præter spem benè sanum offenderat: quòd si vel coronatum petivissem, tàm facilè dedisset mihi. M. O quantum debes illi summo Patri, qui tibi adeò bonum patrem dederit! N. Ne cogitari quidem potest, quantum debeam. Nam etiamsi malum dedisset; deberem tamen non parùm. Sed quid cessamus auditum ire prælectionem? M. Jam instat hora tertia. N. Parata sunt omnia. M. Mihi quoque. N. Eamus ergò in auditorium.

XX.

Ab observatore monetur quidam adolescens, ut in admonendo fratre natu minore sit diligentior.

Pergendum constanter in admonendis omnibus, præcipuè, qui nobis conjuncti sunt. *Bonæ indolis signum quoddam in puero.*

Exemplum fraternæ admonitionis.

MARCUS, observator. NICASIUS.

FRater tuus semper in concione aut garrit, aut ineptit, aut aliquem incitat: ex quo fit, ut sæpè notandus sit, deinde vapulet. N. Quid vis, faciam? M. Cur non sæpè mones? N. Nunquam desisto monere. M. Perge, precor. N. Nihil est, quòd me preceris: nunquam cessabo, donec, volente Deo,

aliquâ ex parte se correxerit. M. Sic usurpabis Catonis præceptum: *Quando mones aliquem*; nôsti cætera. N. Sed oro te, mi Marce, ut, quoties eum notaveris, id mihi renunties. M. Nunquam finis esset: adeò frequens est nomen ejus in meis commentariolis. N. Saltem fac me semel certiorem, quum primum commiserit, quo sit accusandus: tùm ego dicam patri, cujus verba magis timet, quàm verbera. M. Istud non est parvum bonæ indolis argumentum. N. Ita spero quidem. Facies igitur, quod rogo? M. Ego verò, atque libens.

XXI.

Nicolaus Oberto arcanum commissum extorquere frustra conatur. Amicus, alter idem.

Exemplum fraternæ admonitionis.

NICOLAUS. OBERTUS.

QUid consilii tractabas, modò cùm Præceptore? O. Si scire cupis, illum percontare. N. Cur me celas? O. Ut ne palàm facias. N. Non ideo, crede mihi, te rogo, ut id proferam, quid enim proficerem? O. Quamobrem igitur tàm cupidè rogas? N. Nimirum, ut mecum tacitus gaudeam, si quid boni audieris. O. Itanè paratus advenis, ut à me extorqueas, quod mihi uni, idque à Præceptore, creditum est? N. Quod mihi dixeris, surdo & muto dictum puta. O. Egonè tergum meum in fidem tuam committam. N. Id profectò potes, & quidem sine periculo. O. Nunquam dices tàm commodè, ut istud mihi persuadeas. N. Dabo fidem, me taciturum. O. Etiamsi ter quaterve sanctissime juraveris, non prodam. Proinde, tu desine per-

percontari. N. Hem, ubi est illa nostra amicitia? O. Nescis dictum sapientis? quod tacitum esse vis, nemini dixeris. N. Audivi aliquoties: sed quod amico dictum sit, nemini dictum videtur. Est enim amicus, quasi alter idem. O. Eadem tibi dicet, qui scire ex te volet, & item alius, qui ex illo: atq; ita ad aures omnium perveniet. Itaq; si me tibi posthâc vis amicum esse, me missum facito. N. Non sum imperator, ut te missum faciam. O. Pergin, molestus esse? N. Abire malim, quàm tibi molestiam exhibere.

XXII.

Non est mentiendum, ne in rebus quidem levioribus. Apud Deum nullum est leve peccatum. Peccata nostra Deus Christo condonat. Christus deprecator noster & advocatus. Nemo non peccat sæpissimè, etiam in bonis operibus. Quid agendum sit, ut peccata remittantur. Paulus veniam consequutus, & quare Divini verbi studium inter exercitationes scholasticas annumerandum. Quorsum in literis humanis instituendi sint pueri.

NICASIUS. OLIVARIUS.

ECquid hodie precatus es domi? O. Cur quæris istud? N. Quia non interfuisti matutinæ precationi. O. Qui scis? N. Observavi. O. Atqui tu non es observator. N. Non sum. O. Quamobrem igitur observabas? N. Quia mihi es charissimus O. Quid tùm? N. Dolebit mihi, si vapulabis. O. Quid, an ego notatus fui? N. Etiam dubitas? O. Quùm recitaretur catalogus, nemo me excusavit? N. Nemo: quod sciam. O. Si me tantopere amas, ut dicis, cur tute non excusâsti me? N. Quid

causæ dixissem? O. Commentus esses aliquid. N. Ergò mentitus essem. O. Quid inde? N. Sed ex verbo Dei mentiri vetitum est. O. Fateor: sed erat leve mendacium. N. Nihil leve judicandum est, quo Deus offenditur. O. Negare istud non possum: sed levia ista facilè remittit nobis propter Jesum Christum, qui est deprecator noster, & advocatus. Nam quotusquisque non peccat quotidiè sæpissimè? N. Profecto nullus: quin etiam vix precamur, aut aliquid boni operamur, in quo non insit aliqua peccati species. C. Quid ergò futurum esset nobis, nisi Deus facilè ignosceret? undè & quotidiè precantes dicimus: Remitte nobis debita nostra. N. Nihil dubitare debemus, quin remittat, si errata nostra seriò & verè agnoscamus: si ex animo petamus veniam: si fidem habeamus, nobis ignosci. O. Quid igitur restat? N. Illud restat, ut neque delectemur peccatis, neque in his persistamus: neque malitiosè, scienter & de industriâ peccatum committamus. Nimis enim multa sunt, quæ per carnis infirmitatem peccamus, aut etiam per ignorantiam. O. Nihil dubito de peccatis illis, quæ ex carnis imbellicitate perpetramus: qualis fuit Petri abnegatio: sed qui fit, ut peccemus per ignorantiam? N. De hoc Pauli exemplum habes, qui scribens ad Timotheum, in priore Epistolâ palàm profitetur: se, quamvis Ecclesiam Dei persequutus fuerit, tamen veniam esse consequutum: quia ignorans id fecerit. O. Isto exemplo mihi abundè satisfecisti; (nam & ego id legere memini:)

sed

sed scin'tu, quoto Epistolæ capite id scriptum sit? N. Equidem non soleo vexare memoriam, in retinendis capitum numeris: mihi hoc temporis satis esse videtur, aliquot sententias quasi raptim annotare, quas memoriæ mandare liceat: si quid interdum otii suffurari possim, ex quotidianâ studiorum præsentium occupatione. O. Utinam ego quoque id facere possem! N. Quid impedit? O. Vix ego queo satis Præceptori facere in exercitationibus scholasticis: tantùm abest, ut aliis studiis aliquid temporis impertiri concedatur. N. Satis profectò quotidie sumus occupati: sed hæc tamen ferenda sunt, quamdiu nobis opus esse ipsi DEO & parentibus nostris visum fuerit. O. Ego propterea libenter fero, ac tolero omnes ejusmodi labores. N. Qua spe toleras? O. Quia futurum spero, ut primi sint gradûs, quibus ad majora aliquando perveniam. N. Sed de his aliàs pluribus: nunc agamus, quod instat. O. Quid istud est? N. Audin'tu, ad cœnam signum dari? O. Bonum signum nuntias: jam sentiebam esuriem. N. Nimirum, quia merendam prætermisisti. O. Utinam eâ tàm facilè semper abstinere possem, quàm hodiè carui libenter. O. Ego vero non libenter careo, nisi occupatus necessario negotio.

XXIII.

Obertus Patricio commodatum reddit, cum gratiarum actione. Beneficia ultro citroque oblata.

Exemplum aulicæ civilitati propemodum simile.

OBERTUS. PATRICIUS.

ECce, reddo tibi commodatum, & gratias ago ma-

maximas. P. Non est, quod agas: sed tu satisnè usus eras? O. Satis diu usum concessisti, quæ tua est humanitas. P. Quoties opus erit, quæso ne parcas rebus meis. O. Non parcam, quando ita jubes. P. Pergratum mihi feceris. O. Gratiam habeo maximam: tu verò nostris vicissim utere, si quid opus fuerit. P. Non est, quod moneas: satis meâ sponte sum impudens. O. Imò verecundus nimis. P. Esto: aliquandò tamen senties. O. Ita velim; bene vale. P. Te servet Dominus Deus. XXIV.

Quidam reprehenditur, quod animi causa nocuerat: Peccatum per ignorantiam.

Deus ad usum nostrum creavit omnia. Beneficiis Dei non abutendum. Ignoscendum puero sponte delictum confitenti.

Ad precandum admonitio. Singulorum secretæ preces. Perseverantia in verbo Dei.

Exemplum rarissimum pueri, qui admonitus culpam libenter confitetur.

OLIVARIUS. PAULUS.

CUr hîc pisa dispergebas? P. Quando? O. Post prandium. P. Id faciebam animi causâ. O. Sed pisa illa unde habueras? P. Acceperam è conchulâ, ubi reposita erant, ut crastino die coquerentur. O. Debuistinè animi causa malum facere? P. Non putabam, id esse malum. O. Annon est malum, conculcare panem pedibus. P. Istud ego nollem facere. O. Cur nolles? P. Quia panis est nobis maximè necessarius. O. Et ipsa pisa, & cætera, quæ eduntur, Deus in usum nostrum creavit. P. Non ignoro; quin etiam pisis libenter

vescor

vescor, si bene cocta & condita sint. O. Præterea vellesne abuti rebus tuis? P. Minimè. O. Tantò minus alienis debes. P. Istud satis intelligo. O. Ergò non rectè feci sti. P. Non rectè fateor: non tamen animo malo. O. Cur igitur feci sti? P. Mea ineptia me ad illud incitavit. O. Quid inde meruisti? P. Plagas. O. Rectè dicis, sed opinor, non ex animo. P. Imò certè ne me accuses, oro. O. Quando quidem sponte fateris, non accusabo. Sic enim velle se dixit Præceptor sæpissimè. P. Quid ille dixit? O. Ut de rebus ejusmodi levioribus neminem ad ipsum deferamus, qui modò culpam libens agnoverit. P. Istud ergo beneficium, tibi debeo, mi Olivari. O. Nihil velim mihi debeas hoc nomine, sed mecum precare DEum, ut à malo nos liberet. P. Quotidiè in Scholâ quater aut quinquies palàm precamur. O. Quid tùm? P. Præterea privatim, quoties cubitu surgitur. Nonnè satis hæc sunt? O. Præter illa, sæpe monet Præceptor, ut interdum pro se quisque precandi causa secedat aliquò in secretum locum: meministine? P. Memini probè, sed, ut scio, difficile videtur esse, ut pueri secretis precibus assuescant. O. Et tamen paulatim assuescere optimum fuerit. P. Progressu temporis Deus ipse noster ad eam rem nos incitabit atque assvefacièt. O. Ita forè sperandum est, si tamen verbi ejus tùm lectionem tùm auditionem sedulo prosequamur.

XXV.

Non est malum malo, sed malum bono compensandum.

PATRITIUS. QUARTUS.

Licet-

Licetnè malum malo rependere ? Q. Cur istud quæris? P. Ut iis respondere possim, qui hac in re mihi contradicunt. Q. Breviter interrogasti, respondeo brevissimè : non licet. P. Cur non? Q. Quia vetuit Christus, & post eum Apostoli. P. Quid igitur faciendum est ? Q. Malum bono compensandum. P. Annon satis est, bonum bono rependere ? Q. Non satis Christiano quidem. P. Quamobrem ? Q. Nam Christianum oportet Christum Præceptorem imitari. P. Quid fecit Christus in eo genere ? Q. Sanavit eum, qui ipsi colaphum infregerat : precatus est pro iis, qui ipsum in crucem sustulerant : alia item multa fecit ejusmodi. P. Nihilne igitur facit, qui gratiam pro gratiâ rependit. Q. Tantùm facit, quantùm faciunt Ethnici. P. Quid illi faciunt? Q. Amicos diligunt, & referunt gratiam, à quibus acceperunt. P. Nihilnè ampliùs ? Q. Nihil, nam quid ampliùs exspectes ab iis, qui verum DEum non noverunt ? P. Quid faciunt inimicis ? Q. Quibuscunque modis possunt, eos persequuntur. P. Estnè Christiano peccatum ? Q. Si non licet, ut jam tibi probavi, conclude, id peccatum esse. P. Atqui, ut vulgò dicitur, vim vi repellere licet. Quam sententiam novus quidam Poëta etiam latius interpretatus est his verbis :

Pellere vim vi jura sinunt, & vulnere vulnus.

Quid ad hoc respondes ? Q. Istud quidem permittunt Ethnicorum leges : sed lex divina longè aliter loquitur. P. Quid divina lex ? Q. Idem, quod Dei verbum. P. Quicquid ergò fit contra Dei verbum

bum, estne peccatum? Q. Procul dubio peccatum est. P. Potesnè ista probare ex divinis literis? Q. Quidni possim: nihil facilius. P. Adfer mihi, quæso, sententias. Q. Non credis id, quod est omnibus inconfesso? P. Imò verò indubitanter credo. Q. Quid igitur opus est testimoniis. P. Ut contradicentibus certo respondere possim. Q. Rectè intelligis: sed quia non potes ex tempore memoriæ mandare, exspecta, dum tibi describam in chartulâ: in quâ etiam sit locorum annotatio, ut possis, quibus voles, etiam digito demonstrare. P. Optimum eô tempore consilium, quantò istud mihi commodiùs fuerit! sic enim per otium ediscam, ut ad manum habeam, quoties erit opus. Sed quando mihi dabis? Q. Cras, si libet huc ad me currere. P. Quotâ horâ. Q. A meridie primâ. P. Sat habeo: intereà vale. Q. Te servet Dominus Deus.

XXVI.

De scholasticâ societate in conferendis merendæ cibis. Auspicantur merendam à carmine in DEI laudem. Curæ de pauperibus. Matrum in filios amor ineptus.

Divinare ex conjecturis non est malum.

Exhortatio ad divinas laudes, & gratiarum actionem. Notatur voracitas in edendo. Reprehenditur abusus in verborum notione.

Latinè loquendi servanda est proprietas. Ex pravâ institutione vitia contrahuntur. Deteriora pertinaciùs hærent. Exemplum permissæ hilaritatis in Christianorum conviviis.

PAU-

PAULUS. QUINTUS.

Tityre, qui patulæ resides sub tegmine mori,
Tunc hic solveris tàm lætus tâmque supinus?
Q. O Melibæe, DEus nobis hæc otia fecit:
Ille DEus magnus qui nostrum fecit in usum
Omnia, dans propriam cunctis animalibus escam:
Qui mare, qui terras, & quod tegit omnia cœlum
Condidit, ille opifex rerum qui summus habetur.
P. Carmina mitte loqui: nunc me liquere Camœnæ,
Est mihi mens alibi: cupio certare merendâ.
Q. Sed tamen hæc mecum poteris residere sub umbrâ.
Namque hic (ut cernis) locus est satis amplus utrique.

P. Mittamus ergò versiculos: & merendas nostras conferamus. Q. Per me non stabit: scrutemur peras: age, explica tuam. P. Exspecta parumper. Dic mihi prius, quid habes in merendam? Q. Panem. P. Quasi verò sine pane merenda esse soleat. Q. Ne panem quidem pauperes semper habent. P. In tempore admones: ponendæ erunt reliquiæ nostræ in eorum corbulam. Q. Quid si reliquiarum nihil fuerit? P. Saltem restabit panis, & hoc satis erit: sed dic tandem, nunquid habes obsonii? Q. Quid dubitas? mater mea nunquam cõmitteret, ut me in Scholam mitteret sine aliquo obsonio. P. Dic ergo, quod est? Q. Divina. P. Non sum vates; nec velim hanc merendæ horam in nugis terere. Q. saltem periculum facies, quam valeas conjecturis, quâ de re jam aliquid in Rhetoricis audivimus. P. Aut caseus, aut caro est, residua ex prandio. Q. Neutrum. P. Dic sodes, ut accingamus nos operi. Q. Ne te diutius torqueam,

sunt

sunt pyra præcocia. P. Ain'tu? res nova, nondum hoc anno videram. Q. Vide nunc. P. Quàm matura sunt! Q. Cur non addis etiam, quàm bona? P. Sed nondum gustavi. Q. Satis acutè me reprehendis. Accipe & gusta. P. Papæ, quam mitia quàm boni succi! Q. Nonne meritò maximas gratias agere debemus DEO nostro, tam benigno Patri, qui nobis indignis tot bona, tàm varia largitur. P. Qui non facit, is est profecto ingratissimus. Q. Agedum: vescamur bonis ejus cum gaudio, & gratiarum actione. P. Jamdudum esurio. Q. Sed tu nullum habes obsonium? P. Vide frustum crassum vetusti casei. Q. Edamus primùm pyra, caseo claudemus stomachum. P. Sed maturemus, ne fortè hora nos opprimat. Q. Neutrum cessare video: certè, quod ad me pertinet, non queo comesse citiùs. P. Ne tamen ita devores porcorum more, ecquid pudet? Q. Quia dicebas esse festinandum. P. Maturemus, dixeram, non autem festinemus. Q. Ego non adeò scrupulosè inter hæc verba discrimen facio. P. Vult tamen præceptor, ut propriè loquamur, quantum per ingenii captum licebit. Nam benè loquendo, benè etiam scribere condiscimus. Q. Contra diligenter scribendo consuescimus etiam rectè loqui. P. Hæc duo inter se conjuncta sunt. Sed heus, otiose, inquam, edamus: satis habemus temporis. Q. Nonnè tota hæc hora ad merendam libera est? P. Hodie quidem libera, sed tamen desinamus, ne panis deficiat nos, & nihil reliqui fiat pauperibus. Q. Eamus ergò ad puteum,

ut aliquantum potemus. P. Hem, verborum proprietate semper abuteris: istud bibere est, non potare. Q. Quòd mihi non parcas, habeo sanè gratiam. Ex parvâ institutione primâ hæc vitia contraxi. P. Verissimè igitur Quintilianus dixit: hæc ipsa magis pertinaciter hærent, deteriora sunt: meministin? Q. Memini: sed interim juva me, ut hauriamus aquam è puteo. P. Enitere validiùs: nimium me laborare finis. Q. Tantò bibes jucundiùs. P. Bibitum satis est: recipiamus nos in aulam, ut precationi interfimus & actioni gratiarum. Q. Tu præcede, dum utinam illuc eo reditum.

XXVII.

Simulatione quâdam hic quæsitum est colloquendi argumentum. Lex Scholastica, ne pueri res suas alienare audeant.

Christi exemplo adversa ferenda propter ipsum. Quia sine divini Spiritus auxilio nihil fieri potest boni, precibus illud est impetrandum.

QUARTUS. REMIGIUS.

VIs emere hoc cingulum? R. Cur emerem? unum mihi satis est: tu verò, cur vis vendere? Q. Quia sunt mihi duo. R. Nec tamen licet, ut vendas, nisi vis in pœnam incurrere. Q. Quia vetat me, vendere res meas? R. Nihil adhuc tuum habes. Q. Eho! nihil, unde probas istud? R. Quia nondum es tui juris, sed sub potestate; denique vis audire breviter, tibi istud non licere? Q. Maximè velim. R. De hoc lex est Scholastica, cujus hæc est Sententia: pueri, injussu parentum, nec

nec vendant aliquid, nec emant, nec permutent, nec alienent quovis alio modo: qui contra fecerit, verberibus plectetur. Q. Istud ego non ignorabam, sed volebam periculum facere, an constans esses in observandis legibus. R. Tu igitur es simulator. Q. In hac simulatione nihil video esse mali, nam tu interpretaris malè. R. Minimè verò, nihil enim nocuisti mihi. Q. Quid si nocuissem? R. Tulissem æquo animo, ut Christianum decet. Q. Utinam adversa omnia sic feramus propter Christum, qui nihil non tulit, salutis nostræ causa! R. Feramus certè, si exemplum ejus semper nobis proponamo ob oculos. Q. Difficile id quidem est. R. Imò impossibile, nisi illius Spiritu semper adjuvemur, quod quidem assiduis precibus est impetrandum. Q. O quam suavi sermone tantillum otii consumpsimus!

XXVIII.

Simulata oratione quidam condiscipulum familiariter objurgat, quòd pecuniam à patre non petierit. Condiscipuli super eâ re prudens responsum.

Oblata occasio non est negligenda. *Locus ex distichis moralibus.*

Naturâ tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percepimus.

Beneficiorum divinorum aguitio. Jocari & irridere. Patrum prudentia in suppeditando filiis, quæ opus sunt.

Pueri tractandæ pecuniæ minimè sunt idonei. Improbi pueri neque objurgationibus, neq; flagris moventur. Omnis boni laus soli debetur

DEO. Fallendi consilium nemo dare debet. Simulatio vultu legitur. Honestæ confabulationes in otio utiles sunt.

Latina lingua quibus adjumentis potissimum comparetur.

QUINTUS. RUDOLPHUS.

SIccinè, me insciente abiit pater tuus, ut mihi non licuerit eum convenire? R. Cur à prandio non venisti in diversorium ejus? Q. Quia putabam, tantùm cras illum esse discessurum. R. Ego quoque idem arbitrabar: sed noluit occasionem prætermittere, quæ se ex tempore obtulerat. Q. Adhuc ille meminit Catonis distichon illud:

Quàm primùm rapienda tibi est occasio prima?
Ne rursus quæras, quæ jam neglexeris ante.

R. Illud opusculum sic memoriâ tenet, ut in eo videatur ætatem contrivisse. Q. Vide, quanta vis sit memoriæ in iis, quæ rudibus annis didicimus. R. Ea est Quintiliani super hâc re sententia: cujus verba, ut opinor, meministi. Q. Memini: sed, ut ad rem, quæ fuit patri occasio; ut ante discesserit, quàm iustituerat? R. Quidam Lugdunenses, quibuscum ad mercatum huc venerat. Q. Aderasne, quum profectus est? R. Præstolabar illum in diversorio. Q. Unde scieras, mutasse consilium de profectione? R. Eram in prandio; quum inter ipsos convenerat, ut expeditis quibusdam reliquis in urbe negotiis equos, sub horam secundam, conscenderent. Q. Quod superest, satisne ex animi sententiâ rem suam fecit? R. Ita feliciter, ut me ob eam rem ad divinas laudes

des vehementer hortatus fuerit. Q. Tu nunc igitur, opinor, benè nummatus redis. R. Menè rides? Q. Cur ego id facerem? R. Pro tuâ libidine. Q. Quasi verò animi gratiâ soleam irridere cæteros. R. Atqui ita putabam. Q. Longè aberrabas. Nam aliud est jocari, aliud irridere. Alterum caret vitio, estque inter amicos satis frequens; alterum est vitiosum, atque odio dignum, utpote, quod ex contemptu ferè proficiscitur. R. Ignosce igitur mihi. Q. Non gravis est culpa, sed dic, rogo; nihil tibi pecuniæ dedit pater? R. Ne petivi quidem. Q. Tamen spontè dedit? R. Aliquantulum. Q. Quantum igitur? R. Perpusillum. Q. Dic sodes. R. Cur tàm avidè inquiris? Q. Ut amicorum more tibi gratuler. R. Nihil est gratulatione dignum. Q. Fatere tandem, quid sit. R. Soli asses quinque. Q. Hui tantillum, ô stulte, qui non petieris duos aut tres decusses argenteos! R. Non ausus sum. Q. Quid verebare? R. Ut planè denegaret, atque ægrè ferret, quòd peterem. Q. Nunquam id feciset: modo petendi causam addidisses. R. Credo equidem, sed quid causæ attulissem? Q. Rogas? nonne sunt res sexcentæ, quibus indiget usus scholasticus? R. Multæ sunt, fateor. Q. Tu verò adeonè abundas rebus omnibus, ut tibi desit nihil. R. Imò desunt plurima: sed quibus facilè caream. Præterea, satis novit pater, quæ mihi opus sunt tùm studiorum causâ, tùm ad victum, cultumque corporis. Q. Novit quidem: sed alia multa sunt illi & curanda & cogitanda. R. Credo

do, esse illi præcipuam liberorum curam. Q. Sed nimis ab eo remotus es. R. Sine me pervenire, quò volo. Q. Age, sino. R. Novit etiam pater, me nondum esse idoneum, ad rectè tractandam pecuniam. Q. Cur non? an tu ad eam rem non satis ætatis habes atque prudentiæ? R. Isthinc absum longissimè. Itaque Pater dedit Præceptori in mandatis, ut omnia mihi suppeditet, ad usus vitæ studiorumque necessarios: ad quam rem præbet illi, quantum satis est pecuniæ. Q. Esto. R. Ergò si quid à Patre peterem, me statim ad Præceptorem remitteret; Fortassis etiam irascerétur, & me graviter objurgaret. Q. Facile est objurgationem pati, modò ne sequantur verbera. R. Facilè est credo, sed iis duntaxat, quos neq; pudor movet, neque ulla parentum reverentia. Ego autem ipsa verbera ferre malim, quam patris irati objurgationem, ex quo fit, ut sedulo caveam, ne quid illi præbeam causæ ad irascendum. Id enim sub quarto Præcepto divinæ legis continetur. Q. Facis, ut pium decet adolescentem. R. Ejus rei laus non mihi, sed soli DEO, tribuenda est. Q. Nempe à quo proficiscitur, quicquid nobis inest boni. R. Faxit ille, ut, quæ bona inspirat nobis, ea sequamur animo promptissimo. Sed ut ad te redeam, serione reprehendebas, quòd nullam pecuniam à patre rogassem? Q. An ego te vellem ad fallendum patrem inducere? R. Mihi quidem non sit verisimile: me tamen ipsum fefellisti. Q. Quomodo? R. Quia seriò loqui videbaris; adeò aptè vultum verbis ipsis accommo-

modabas. Q. Sed quid censes de hâc nostra confabulatione? R. Argumentum satis aptum dedisti nobis, in hoc otio nostro vespertino. Q. Ecquid habuit sermo noster, quod reprehendisset observator, si fortè, ut solet, nos observasset ex insidiis? R. Nihil, ut opinor. Q. Profectò verum est, quod sæpè nobis præceptor inculcat. R. Quid illud est? Q. Latinæ linguæ copiam & facultatem comparari his potissimùm rebus, sæpè scribendo, confabulando, legendis auctoribus, vernacula Latinè, aut Latina vernaculè convertendo. R. Ergò his rebus diligenter nos exerceamus, adjutore Domino Deo, in cujus manu sita sunt studia nostra omnia. Q. Idem faxit, ut cujus erga nos beneficia vero cultu dignisque laudibus perpetuò celebremus.

R. Hoc opus hoc studium parvi properemus & ampli.
Hæc fit votorum summa suprema precor.

Q. Sed audi horologium. R. Nos opportunè admonet, itaque desistamus. Q. Alioqui Solis occasus nos hîc opprimet.

XXIX.

De quodam convivio. Qui convivæ, quæ ferculorum varietas, & copia, quis ordo fuerit, &c. Notatur obiter conviviorum luxus. Gratiarum actio. Objurgatur ipse convivator de luxu.

REMIGIUS. SAMUEL.

QUid est, quòd hodiè tàm citò à patruo redieris, præsertim, quum fuerit convivium? S. Quid illic feciſſem diutiùs? R. Cœnam exspectâsses, ut ederes de prandii reliquis. S. Satis

ederam in prandio. Præterea jussit patruus, ut domum reducerem Præceptorem, quem ego ad convivium deduxeram. R. Quid frater tuus patruelis? cur in ludum vobiscum non rediit? S. A matre retentus est, in unum aut alterum diem. R. Quamobrem? S. Ut illi resarciantur vestimenta. R. Illa est mulierum cura. Sed age, quoniam nunc otiosi sumus, narra mihi, quæso, aliquid de convivio. S. Quid de illo scire cupis? R. Primùm, qui convivæ fuerint: deinde quàm lautum & opiparum convivium. S. Convivæ fuerunt hi præcipui: quatuor Consules, Syndicus, & alii duo primæ notæ è Senatorum numero. R. Nostinè? S. De facie quidem: sed eorum non teneo nomina. R. Nullinè præterea? S. Duo item ex patrui mei familiaribus. R. Quotus occumbebat præceptor? S. Quotus esset, non observavi: sed erat in mediâ ferè mensâ, è contrariâ parte mei patrui. R. Tu verò? S. Hui inepte! quî istud rogas? Egonè homunculus cum tantis viris epularer? Satis hoc mihi honorificum fuit, quod ministrarem. R. Nullænè erant mulieres? S. Nullæ, præter uxorem patrui: quæ quidem sedebat in mensâ extremâ. R. Quid ita tàm remota? S. Sic voluit ipsa, ut identidem commodiùs surgeret, propter ordinem ministerii. R. Quid filius? S. Juxta matrem assidebat. R. Habeo de convivis; nunc expecto de convivio. S. Onus mihi valde magnum imponis ac difficile, maximè propter memoriam; sed quando (ut dixisti) plusculum otii nacti sumus,

sumus, hoc pomeridiano tempore, dabo equidem operam, ut aliquâ ex parte impleam desiderium tuum. R. Pergratum mihi feceris. S. Eâ tamen lege, ut par pari referas, si quando dabitur occasio. R. De hoc nihil est, quod dubites: incipe. S. At ego interea sedere volo; quia longa est narratio. R. Eamus sub pergulam, ut in umbrâ commodiùs fabulemur. S. Audi nunc jam. R. Quia, ut ais, longa est narratio, dic mihi primùm quotâ horâ accubitum est? S. Ferè decimâ. R. Quotâ surrectum? S. Paulò ante meridiem. R. Sedebantne omnes commode? S. Commodissime. R. Nunc ad rem aggredere. S. Accipe igitur mensæ præludia. R. Appone, quum voles. S. In primis apposita sunt tenella crustula mellita operis pistorii, cum aromatite. R. Optimum sane exordium, & ad conciliandos animos aptissimum S. Omitte, quæso, istas interpellationes, ne mihi perturbetur memoria. R. Posthac non interpellabo, nisi si quid opus erit requirere. S. Sequuti sunt pernæ salitæ, hila infumata, lucanicæ, linguæ bubulæ sale quoque & fumo induratæ. Atque hæc ad excitandam appetentiam, & sitim acuendam. R. Quasi verò non satis acueretur Solis æstu & fervore. S. Sic docti solent facere convivatores. R. Isthæc audio libenter, præsertim quum exprimas omnia propriis & significatibus verbis. R. perge porrò S. Eodem ordine interposita sunt acetaria è lactucis capitatis, ovium intestina frixa, minutalia ex vitulina, cum ovorum vitellis integris. Et hæc hactenus de prælu-

diis, qui missus primus fuit. R. Nihil interim bibitum est? S. Indigna homine quæstio. Quis enim vino hic parceret? vix tres & quidem strenuissimi fundendis potibus sufficiebamus. Sed de potibus agam posteriùs: sine me cibos expedire. R. Agè, sino. S. In secundo missu hæc fere fuerunt: artocreas, pulli gallinacei elixi cum lactucis, bubula, vervecina, vitulina, suilla recens salsa, jus carnium ovorum vitellis, croco, & omphacio suavissime conditum: aliquot item juscula ex oleribus. R. Hic plus, opinor, fabulatum quàm esum fuisse: quia scilicet assa exspectabantur. S. Vix mensam attigerant, quum illa tollere jussi sumus. Venio igitur ad tertium missum, in quo assa hæc fuerunt exposita: pulli gallinacei, pulli columbini, anserculi, fartiles, & succuli, item cuniculi, armi vervecini; postremò ferina duorum generum opere pistorio incrustata. R. Quid præterea? S. Quid? hem (benè prætermisi) duæ perdices interjectæ cum lepusculo, fabæ, virides frixæ, & pisa cocta cum siliquis. R. Nihilnè piscium? S. In tempore admones? Erat trutta ingens, quæ divisa fuerat in partes quatuor, præter caudam: prægrandis item lucius, ad eundem modum quadripartitus. Taceo minutos pisces, & mediocres, partim elixos, partim assos aut frixos, item cancros fluviatiles, magno omnia numero? sed hæc magis ad ostentationem, quàm ad necessitatem, de iis enim ferè nihil gustatum est. R. Unum mihi videris prætermisisse. S. Quid illud est? R. Nullinè erant intincti? S. Imò

mò singulis propemodum ferculis addita erant scitissimi saporis embammata, quæ coquus ipse miro artificio concinnaverat. Nec vero defuerunt capparides ex oleo & aceto, mala citrea, olivæ conditivæ cum suâ muriâ, acetum rosaceum, & succus oxalidis. R. O quot & quanta gulæ irritamenta! S. Adde etiam, corporis & animi impedimenta. R. Sed quis, quæso, fuit ultimus actus fabulæ? S. Tandem, quum jam nec carnes nec pisces ullus ederet, jubet patruus apponi bellaria: in quibus hæc fuerunt præcipua, caseus recens pinguissimus, itemque vetus multiplex, scriblitæ, placentulæ, oriza in lacte cocta, & benè saccarata, persica præcocia, ficus, cerasa, uvæ passæ, cariotæ, tragemata serotina, salgama multorum generum, & alia, quæ nunc mihi non occurrunt. Tanta denique fuit omnium esculentorum affluentia, ut mensa ipsa vix sustineret. Quid quæris? quater aut quinquies mutati sunt orbes & quadrulæ: cibos crassos, & duriores magnâ ex parte integros in culinam referebamus, adeò pauci attingebant, propter delicatiorum copiam. R. Quid confert tanta cibariorum abundantia & diversitas? S. Ad gravandum stomachum, & morbos complures generandos. Sed quid agas? sic ferè hoc tempore vivitur. R. Qui talibus viris convivia faciunt, certare videntur de copiâ, de apparatu, de splendore & lautitia. S. Et tamen extant inter hujus civitatis leges quædam (ut audivi) sumptuariæ. R. Silent leges inter convivia, ut obiter è Cicerone detorqueamus ali-

aliquid. S. An putas, omnes convivas illâ sumptuum immanitate delectari? R. Non puto: nisi fortè sunt lurcones, aut asoti, aut Apiciani (ut ita dicam) ventricolæ, cæterum quid est in causâ? S. Rogas? convivatorum non modò stultitia, sed etiam insania. *R. Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.* Ut ait Horatius. S. Sed nos hanc censuram omittamus, juxta proverbium: Ne sutor, &c. R. Redeamus igitur ad propositum. Quale vinum appositum est? S. Si de colore quæris, album, nigrum, fulvum, sanguineum; deque singulis coloribus vina multiplicia: si de bonitate, omnia ferè generosissima: sed in primis commendabant illud vini genus transrhenanum:

Anseris à rubro quod pede nomen habet:

Deinde illud quoque, & quidem magis, quod vocant Fürstenbergicum, seu Vallense, seu Baccharacenum. R. Undè hoc petebatur? S. E parui cellâ vinariâ. R. Habetnè multum ejusmodi? S. Duos cados. Q. Quis fuit prandii exitus? S. Ubi videt patruus, convivas omnes penè defessos edendo, bibendo, colloquendo, tunc vinum fundi jubet singulis: omnes ad extremum potum invitat, hinc ordine tolluntur omnia: insternuntur mensis latiora mantilia ex lino tenuissimo: datur aqua odorifera, manibus leviter abluendis. Ego & patruelis, de more, DEO gratias agimus: ipse verò patruus clarâ voce agit universo cœtui: tandem Syndicus, convivarum nomine, gratias accurato sermone publicas agit convivatori: simul objurgat eum, quòd tàm magnifico & sum-

sumptuoso apparatu convivatus fuerit. Imò (inquit patruus) mihi, quæso, ignoscite, quod vos pro dignitate, non satis ampliter tractaverim. His dictis surgunt è mensâ universi: magna pars valedictu, statim discedit, cæteri manent, stantes & colloquentes in aulâ. R. Quid vos intereà, qui ministraveratis ad mensam? S. In culinam ad prandium nos recipimus: corpus illic otiosè, & ex animi sententia curamus. R. Ubi erat interim præceptor? S. Patrus illum seorsim vocaverat ad colloquium. R. Credo, ut te & filium suum de meliore notâ commendaret. S. Istud est verisimile. R. Nescis, quæ fuerit causa tanti convivii? Q. Quid meâ scire refert? R. Tantò minùs igitur meâ. S. Rectè colligis: & sic exspectabam. R. Atqui non sum Dialecticus. S. Tibi est naturalis Dialectica. R. Eandem habent & rustici. S. Sed agè, dic mihi seriò, non ego te tractavi magnificè? R. Tali convivio nunquam interfueram. S. Gaudeo, stomacho tuo satis esse factum. R. Est Deo gratia, qui dedit nobis otium tàm jucundum. S. Surgamus tandem; nam audio, pueros à lusu discedere.

XXX.

Famulum herus, quid & quanti obsonatus sit, interrogat, & ægrè fert, eum cibos, quibus delectari solebat, non emisse.

Exemplum prudentiæ in emendo.

RUDOLPHUS Herus, STEPHANUS Famulus.

FUistine hodie in foro? S. Fui. R. Quando? S. Post Concionem sacram. R. Quid emisti nobis,

bis? S. Ferè nihil. R. Quid autem? S. Butyrum. R. Quanti? S. Quadrante. R. Tantillum? S. Non ausus sum amplius emere. R. Quid timebas? S. Ne bonum non esset. R. Satis prudenter factum. S. Cur istud dicis, here? R. Quia malim, te esse hac in re timidiorem quàm audaciorem, sed nunquid emisti prætereà? S. Nihil. R. Eho! nihilnè? S. Nihil prorsus. R. Vah! quàm parcè nobis obsonatus es! S. Quid aliud emere potuissem? R. Quasi nescias, quibus cibis oblectari soleam. S. Scio, te amare caseum molliusculum, & pyra, & alios fructus recentes. R. Rectè dicis: cur ergò non emebas? S. Caseus ipse carior erat pro nostra pecuniola. R. Quid fructus? S. Alii erant non satis maturi; de aliis ego dubitabam, essentnè boni. R. Miser, non poteras gustare? S. Atqui istæ mulieres nihil gustare permittunt, nisi te empturum affirmes. R. Nihil mirum, multi enim gustarent animi tantum gratiâ; Tu igitur esto alias prudentior. S. Quomodo? R. Si videris pulchrum aliquem fructum, eme aliquantulum denariolo, ut facias periculum. S. Quid tùm prætereà? R. Si tibi sapuerit, tum emito ampliùs, sin minus relinquito, & aliò te conferto. S. Bona est ista cautio. R. Memineris igitur, ut ipse posteà utaris. S. Ego, ut spero, meminero diligenter. Num quid vis prætereà? R. Ut cures, quæ tui sunt officii, deinde literis incumbas.

XXXI.

De carnis emptione. Divinatio ex conjecturis, contra vulgi opinionem de fortunâ.

Mali

Mali mores tenacius retinentur. Solus Deus adjutor. *Linguæ lapsus ex imprudentia.* Memoria exercenda. Dociles proficiunt admoniti.

SAMUEL. THOMAS.

UNde redis? T. è foro. S. Quid emisti? T. Carnem. S. Qualem? T. Vitulinam. S. Ostende, quæso: fere nova res est hoc tempore. T. Vide. S. Bona videtur mihi. T. Non falleris, opinor. S. Quot sunt libræ? T. Nolunt lanii appendere vitulinam. S. Cur non? T. Propter novitatem. S. Vide astutiam: scilicet quisque vendit, quàm potest carissimè. T. Rem acu attigisti. S. Quantum putas pendere? T. Duas libras & paulo ampliùs. S. Quanti emisti? T. Agè divina. S. Non sum divinus. T. Atqui multi divinant, qui tamen divini non sunt. S. Fieri potest, sed ex quibusdam conjecturis, alioqui divinatio vetita est in divinis literis. T. Divina igitur ex conjecturâ. S. Emisti totum duobus assibus? T. Paulò minoris. S. Quanti ergò? T. Tenta iterum. S. Viginti denariolis. T. Nolo te diutius torquere de nihilo. S. Dic igitur sodes. T. Hoc totum constitit mihi sex quadrantibus. S. Profectò fortuna tibi pulchre favit. T. Quam mihi narras fortunam? S. Hic mos est loquendi. T. Mos, ut dicitur, Tyrannus est pessimus. Atqui utinam bonos mores tàm studiosè coleremus, quàm obstinatè retinemus malos! S. Tunc melius se haberent omnia. T. Nos igitur fortunam istam ethnicis & impiis relinquamus. Fortuna nihil est: solus est Deus, qui favet nobis solus est Adjutor & Protector noster. S. Istud

quidem certô scio, fideliter credo, & verè confiteor: sed, quid agas? sæpe labitur lingua nihil mali cogitante animo. T. Oportebat te illud meminisse: Ne lingua præcurrat mentem. S. Istud quidem didicimus è septem sapientum dictis: sed non semper occurrunt ejusmodi pulchrè dicta, licet ea mandaverimus memoriæ. T. Tantò igitur magis illa est exercenda, ut nobis, quum opus est, suppetat. S. Isto tuo admonitu discam esse aliàs prudentior. T. Sed audio signum dari: desinamus.

XXXII.

Aliquot nomina carnis generum. Reprehenditur imperitè loquutus. Vivarium ferarum. Hortatio ad agnoscenda beneficia Dei. Eleemosyna secreta.

Leges ex Evangelio.

STEPHANUS. TREBATIUS.

NUnc demùm redis è foro? T. Quid demùm? tanta est ad lanienam turba, ut vix accedere, potuerim. S. Quas attulisti nobis carnes in diem crastinum? T. Bubulam & vervecinam. S. Estnè in foro carnium magna copia? T. Tanta profectò, ut mirer, adeò caras esse. S. Nihil mirum; ut multæ sunt carnes, ita multi, qui carnes edunt quotidiè. Sed quæ potissimum vidisti carnis genera? T. Vidi bubulam, vitulinam, ovillam, vervecinam, suillam, hædinam, agninam. S. Nihilnè ampliùs? T. Quid velles prætereà? S. Nihil igitur erat ferinæ? T. Non queo referre simul omnia: imò etiam ferinam vidi. S. Qualem? T. Cervinam & aprugnam, ô quam pinguis est aprugna

gna! S. O quàm ineptus es! T. Quid ita? S. Quia falleris in rerum nominibus. Nam quod in sue domesticâ dicitur arvinâ, id in sue ferâ, id est, apro, callum vocatur, & est in eo genere durissimum. T. Istud quidem audisse non memini. S. Nunc audisti: manda, si vis, memoriæ. T. Tu verò doctor, unde istud didicisti? S. Domi nostræ ferina caro res est frequentissima. T. Undè vobis tanta est copia? S. Pater habet ruri ferarum multarum vivarium, ex quo interdum solidi apri in urbem adferuntur. T. Quale est vivarium istud? S. Locus est ferè quadrangulari formâ, amplissimus, muris altissimis ceptus undique, consitus multis & proceris arboribus, inter quas sunt dumeta maximè densa. T. Quales sunt illic arbores? utrum urbanæ an sylvestres? S. Sylvestres ferè omnes: sed in his sunt potissimum quercus & fagi: quarum glande pascuntur cervi, apri, damæ. T. O quantas meritò gratias Deo debetis, qui vobis largitus est tantam rerum omnium abundantiam! S. Non sumus immemores beneficiorum ejus. Pater enim plurima bona in pauperes erogat: quod tamen tibi uni dictum esse velim. T. Cur ita? S. Quia talia non vult prædicari. T. Tantò magis laudandus, quod Christi præceptum ferè sequitur: cujus verba apud Matthæum scripta sunt: Quum facis, inquit, eleemosynam, & quæ sequuntur. S. Quoto capite? T. Sexto, nisi me fallit memoria. S. Sed hæc hactenus, satis enim sumus collocuti, & jam ad disputandum convenitur. T. Eamus igitur. S. Se-

quere me, aut si mavis, præcede. T. Ego neutrum faciam, sed unà ibimus.

XXXIII.

Colloquuntur pueri inter se de vindemiâ, & arborum fructibus prudens responsio. Proverbium.

Sæpe etiam est olitor verba opportuna locutus.

Per occasionem pauca de Præceptoris in dictandis proverbiis diligentia, & pueris pædagogorum prælectione non onerandis, interseruntur.

THOMAS. VARRO.

SAlve Varro! V. ô Thoma! auspicato advenis: valesne benè? T. Optimè, gratia Deo, tu verò ut vales? V. Rectè sanè, Dei beneficio, sed quando rediisti domo? T. Nudius tertius. V. Benè habet: opportune venisti. T. Nempe sciebam, instare vacationis terminum. V. Placetne, ut otiosè aliquamdiu confabulemur? T. Maxime, dummodo semoti simus ab hac turbâ clamosâ ludentium. V. Bene mones: secedamus in auditorium illud, quod est apertum. T. Quàm aptè hic sedemus! agè, loquamur liberè. V. Suntne peractæ vestræ vindemiæ? T. Omninò. V. Quantum temporis posuistis in toto opere? T. Dies circiter quindecim. V. Tu igitur semper interfuisti? T. Nullum intermisi diem. V. Quid agebas? T. Uvas sæpiùs colligebam. V. Verbo colligebam debuisti aliquid addere. T. Quidnam? quæso. V. Et edebam. T. Quid opus fuit? de hoc nemo dubitare potest. Quis enim fructus bonos & maturos legit, quin edat etiam ex optimis? V. Profectò rectè loqueris: euge, responsum laudo. T. Jamne

nè putabas os occlusisse mihi? V. istud ne cogitavi quidem. T. Quid igitur? V. Non exspectabam tàm promptum, tamque prudens responsum. T. Nihil est, quod mireris. Nam ut est in proverbio.

Sæpe etiam est olitor verba opportuna loquutus.

V. Cui debes hoc proverbium? T. Magistro Juliano. Is enim dictat nobis interdum proverbia ejusmodi, & pulchras sententias ex bonis auctoribus. V. Optimè vobis consulit: sed quibus horis id solet facere? T. Nonnunquam à cœna, sæpius autem, quum in auditorio nihil habemus reddere. V. Utinam sic omnes facerent: dummodo non essent impedimento quotidianis Scholæ exercitationibus. T. Bene subjunxisti istam exceptionem per adverbium *dummodo*. Sunt enim quidam pædagogi, qui suis dictatis & privatis lectionibus sic onerant pueros suos, ut non possint in Scholâ satisfacere. T. Indè fit, ut ipsi Præceptores interdum conquerantur de talibus pædagogis. Sed, quid agimus? redeamus ad sermonem institutum. V. Placet. T. Fuistine semper occupatus in uvis colligendis? V. Opus illud paucis diebus absolvitur: propterea, quod ita magnus operatorum numerus ad id conduci solet. T. Quid deindè fit? V. Calcantur uvæ: vinum hauritur è cuppis majoribus: eâdem operâ diffunditur in dolia: deinde uvæ ipsæ nondum expressæ subjiciuntur prelo in torculari: postremo exportantur & abjiciuntur vinacea. T. Atqui non curabas ista. V. Imò curabam aliquâ ex parte. Nam agen-

dis omnibus interea maximè, ut solicitarem operarios. T. Eras ergò illis tanquam præfectus & quasi magister operum. V. Imò eram reverâ magister operum & præfectus. Pater enim me præfecerat. T. Quam gaudebas isto magisterio! quam pulchrum erat videre te cum gravitate aliis imperantem: alios adhortantem: alios denique arguentem! V. Profecto, si vidisses me, dixisses alium esse, quàm in schola discipulum. T. Ut video, non eras otiosus. V. Imò, ut bonus pater familias adhibebam sæpe numerò manûs operi, ut ipsos operarios meo exemplo instigarem. T. non abs re, ut apparet, pater te huic muneri præfecerat. V. Nempè aliis in rebus expertùs erat meam diligentiam. T. Absit tamen verbo jactantia! V. Ego sic intelligo, sed libere sic loquor, quia cum familiari meo. T. Sed pergamus: quanta est vobis vini copia? V. Mediocris, qualis ferè hoc anno ubique esse dicitur, tametsi vinum rubrum habemus affatim, album non item. Verùm quicquid est, contenti sumus, & de manu Domini cum gratiarum actione recipimus. V. Quot impleviſtis dolia? V. Plus minùs quadraginta: sed sunt alia aliis majora. T. Papæ! non tibi videtur magnus proventus. V. Satis quidem, sed non pro ratione anni superioris. T. Quid refert? quantò minor est quantitas, tantò etiam pluris vendetur. V. Sic ferè solet evenire, sed nonnè tibi videor satis narrasse de vindemiis? quid præterea desideras? T. Quoniam sic abundamus, volo etiam aliquid ex te audire de fructibus arborum. Est enim quasi

alte-

altera vindemia, nonne habetis multos? V. Plenis tabulatis, quæ est Dei benignitas. T. Quando collecti sunt? V. Quo tempore vinum faciebamus, familia colligebat. T. Quæ sunt vobis ejusmodi fructuum genera? V. Mala, pyra, castaneæ, juglandes: sed malorum & pyrorum multa est varietas. T. Quid cotonea non etiam habetis? V. Imò habemus, sed ea sub malorum genere continentur: unde & alio nomine appellantur mala Cydonia. T. Quid autem attulisti huc rediens? V. Nihil, nisi quasillum uvarum selectarum, sed singulis posthac hebdomadibus mihi afferentur plenis saccis mala, pyra, castaneæ. T. Intereà da mihi, quæso, aliquot ex uvis tuis. N. Eamus in cubiculum meum, illic dabo tibi. T. Equidem paratus sum: eamus. V. Illic etiam agemus de repetendo ultimo in diem lunæ colloquio. Nam, ut opinor, id Præceptor imprimis exiget.

XXXIV.

Olerum quorundam nomina enumerantur. Moretum Virgilianum. Lætitia ob rem culinariam. A puero fructus & oleraæ carnibus præferuntur.

Studiosis satis est modicum alimentum. Parentes ægrè ferunt, nisi filios in Scholâ benè curatos videant. *Matrum indulgentia.* Parentum amor in liberos non facilè immutatur.

TREBATIUS. VIVES.

UBi fuisti hodie post prandium? V. In horto Præceptoris. T. Quid illuc iveras? V. Ille me miserat petitum olera. T. Quæ tandem olera collegisti? V. Vix enumerare possem omnia. T. Saltem, quæ occurrent memoriæ. V. Sed

cur istud quæris ? T. Ut interim recordemur aliquæ rerum nomina, quæ parvuli didicimus. V. Pulchra est exercitatio, præsertim cum aliquid nobis suppetat otii: audi igitur! collegi alia, serpillum, porros, cepas, nasturtium, cuminum, fœniculum, thymum, amaracum, hyssopum, apium, salviam, saturejam. T. Herbæ sunt olentes, quas tu adhuc numerasti. V. Sic institueram, memoriæ gratiâ. T. perge porrò. V. Paucæ quidem restant: ut beta, cichorium, lactuca, oxalis, eruca, brassica, portulaca, plures non occurrunt. T. Qui potuisti tot meminisse ? V. Præceptor mihi dederat scriptum catalogum. T. Et noveras omnes ? V. Nôram, alioqui eum interrogassem. T. At ego non novi omnes, quamvis nomina didicerim. V. Ego tibi plures etiam demonstrabo, quum licebit nobis in hortum ire. T. Multumnè attulisti? V. Plenum calathum. T. Sed de singulis quantum ? V. Nimis es curiosus: quid vis ? de singulis attuli, quantum opus fuit. T. Tametsi curiosus tibi videor : tamen hoc mihi velim respondeas. Scin'tu, in quem usum Præceptor tot olerum genera curet apparanda ? V. Partim, ut jus benè condiatur, partim, ut animal ex oleribus fiat. T. Quàm benè consuluit nobis ! V. Optimè, sed tamen ea non est causa præcipua. T. Quænam igitur ? V. Legistine unquam Moretum Virgilii ? T. Carmen quidem legi, sed Moretum nunquam edi, nec vidi, quod sciam. V. At videbis, spero, nam Præceptor uxorem docuit conficere, & illa confecit, ex eo præscripto.

T. An

T. An apponetur nobis aliquid in cœnam boni? V. Saltem jus carnium pingue, benè conditum, carnes optimæ, & minutal ex oleribus. T. Unde scis ista? V. Omnia vidi in culinâ, quum jussus essem adjuvare, præcipuè in meis oleribus repurgandis. T. Quid Moretum, non saltem gustabimus? V. Imo dabitur nobis: nam confectum est, quod satis sit omnibus. V. Ista mihi sapiunt magis, præsertim æstate, quàm carnes ipsæ, aut pisciculi. V. Optarem profectò, servari carnes in hyemen, ut totâ æstate olera & fructus esitaremus. T. Atqui, ut accepi, ista minùs alunt. V. Id ego audivi quoque aliquoties: Sed quid opus est tanto studiosis alimento? T. Non tanto fateor, si tamen parentes nos viderent pallidos & macilentos, statim ejus rei culpam assignarent Præceptori, nonne sic est? V. Non est dubium: sed quid agas? ferè parentes, præcipuè matres, nobis indulgent nimiùm. T. Vera quidem dicis: Sed tu interim matris indulgentiâ libenter frueris. V. Quasi verò tu minùs. T. Ne mentiar, quod tibi adscribo, in me quoque frequenter experior. V. Non possumus parentum erga nos affectum, nisi nostris vitiis, immutare, tantùm caveamus eorum abuti benevolentia: sed inprimis laudemus illum patrem nostrum benignissimum, qui nobis tales progenitores dedit. T. Ista libens audio: sed nos hora vocat. V. Age finem imponamus.

XXXV.

De iis, quæ in oculos incidunt. Amicus amico

nullâ ſpe mercedis adductus opitulatur. Oculus, membrum inter exteriora nobis chariſſimum.

Zachariæ locus de pupilla oculi. Experientia. Jocus obliquè notatus.

Jocandum interdum, modò cum fructu. Studia noſtra ad gloriam DEI referenda.

VARRO. ÆGIDIUS.

OBſecro te Ægidi, da mihi operam pauliſper. Æ. Quid iſtud eſt? V. Neſcio, qui incidit mihi in oculum, quod me habet valdè malè. Æ. in utrum oculum incidit? V. In dextrum. Æ. Vis inſpiciam? V. inſpice, amabo te. Æ. Aperi, quantum potes, ac tene immobilem. V. Non queo à nictu continere. Æ. Mane, egomet tenebo ſiniſtrâ manu. V. Ecquid vides? Æ. Video aliquid minutum. V. Exime, quæſo, ſi potes. Æ. Quin jam exemi. V. O factum benè! quid eſt? Æ. Cerne tu ipſe. V. Eſt mica pulveris. Æ. Et quidem usque adeò puſilla, ut vix cerni poſſit. V. Vide, quantum doloris adferat oculis res tàm exigua. Æ. Haud mirum quidem. Nullum enim è membris exterioribus oculo tenerius eſſe dicitur. Inde etiam fit, ut experiamur, nihil nobis eſſe charius. V. Hoc DEus approbat, quum de ſuâ in nos charitate loquens, *apud Zachariam Cap. 2.* ſic ait: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Æ. O immenſam DEI bonitatem, qui nos tantopere charos habet! V. Non mihi rubet oculus? Æ. Aliquantulum: nempe, quia fricuiſti. V. Credin'tu, adhuc mihi dolere? Æ. Quidni credam, qui toties talem moleſtiam ſum expertus? V. Experientia

eſt

est rerum magistra. Æ. Ita vulgo dicitur. V. Qu precii dabo isti medico pro labore? Æ. Quantu pacti sumus. V. Brevis est conclusio: ergo nihil, sed tamen habeo tibi gratiam: atque utinam detur referendæ locus. Æ. Quin potius avertat DEus. V. Benè correxisti: dixeram imprudenter, at sine dolo. Æ. Sic accepi, sed interim jocari licet, præsertim, ut in latinâ linguâ nos exerceamus. V. Faxit Dominus Deus, ut omnia studia nostra ad gloriam ipsius referantur. Æ. Faxit, precor.

XXXVI.

Reprehenditur negligentia in cultu corporis. Excusatur à penuriâ rei nummariæ. Verecundia in petendo. mediocritas & modus. Verecundia ubi sit utendum. Hominum societas, abusus in rebus. Hortatio ad petendi fiduciam.

Exemplum admonitionis liberæ inter familiares.

VIVES. ALEXANDER.

DEmiror tuam negligentiam. A. Qua in re tandem? V. Quod te non curas diligentius. A. Ego verò me curo fortasse nimis. Satis edo, bibo, dormio, quæ est DEI erga me benignitas: præterea pecto capillum, lavo manus, faciem, dentes, oculos, & hæc manè præcipuè, quin etiam, quum tempus postulat, corpus exerceo, relaxo animum, & ludo cum cæteris, quid vis amplius? V. Mittamus ista: non ea sunt, quæ in te reprehendo. A. Quid igitur? V. Circumspice vestimenta tua a calce ad verticem: nihil integrum invenies, omnia sunt lacera & obsoleta, ista profectò nequaquam vestrum genus decent: si saltem curares vestitum tuum farcien-

dum, aut quoquo modo instaurandum. A. Loqueris tu quidem, quæ libent: quod si parentes haberes tam procul remotos, fortasse non esses elegantior. Si mihi pecunia suppeteret, non paterer, me usque adeò pannosum esse. V. Nec ideò tamen cares negligentiâ, cur enim non petis alicunde mutuò? A. Unde peterem? V. Si non alicundè, certè à Præceptore posses. A. Quid si dare nollet? V. Nemini denegat ex discipulis domesticis, si quidem videt opus esse. A. Id ego non ignoro: sed sum verecundior, quàm ut audeam ex eo petere. V. Ah! rusticus est iste pudor. A. Malo tamen verecundus esse, quàm impudens. V. Verecundia, ut dixit quidam, est bonum in adolescente signum: sed ubique adhibenda est mediocritas. A. Ego eo sum ingenio, ut semper verear offendere quempiam. V. Ingenium laudo: sed modus est in rebus. Nam ille offendendi metus habere locum debet in rebus turpibus, aut certè indecoris, hic verò nihil tale video. Est enim usitatum in hominum societate, ut alii aliorum opera indigeant. Quis igitur mihi vitio dabit, si quid ab amicis aut commodatò petam, aut mutuò? A. Nemo reprehendet, nisi fortè rebus ejusmodi abuti velis. V. Tu verò, quantum ego te novi, abuti nolles. A. Apage istum abusum! V. Quid ergò jam obstat, quò minùs petas, præsertim ab homine facillimo, tuique, ut apparet, amantissimo? A. Age, petam, sed per epistolium, quod ut reddas, tibi dabo. V. Reddam profectò libentissimè, teque illi commendabo diligenter.

A. E-

A. Equidem non parvam tibi gratiam habeo, quod me tanti feceris, ut ad hanc fiduciam hortarere. V. Nunc restat, ut scribas, quod dicis, epistolium, reliqua mihi committas. A. Benè vertat Deus, quod cœpimus. T. Ne dubites, res prosperè succedet.

XXXVII.

Baptista domum se non ante abiturum dicit, quam Deo visum fuerit, aut ipse à patre accersatur.

Parentibus mos gerendus est. Sermones nostri non debent esse infructuosi. Exemplum obedientis filii.

ÆGIDIUS. BAPTISTA.

QUando vis abire domum? B. Nescio. Ubi Deo visum fuerit: id enim pendet ex voluntate ejus, non mea. Æ. Quid si te accersat pater? B. Tunc intelligam, Deum sic velle, ideoque parebo. Æ. Quid si alia fuerit Dei, alia patris tui voluntas? B. De hoc non est meum disputare, sed ut confido, pater non temerè me accerset. Æ. Ego quoque non aliter sentio, sed volui tantisper tecum fabulari. B. Gaudeo, nunc nostrum sermonem non fuisse fabulosum. Æ. Utinam in scholis frequentiores essent sermones ejusmodi. B. Tùm erunt, quum Deus ipse puerorum animos timore sui affecerit. Æ. Ergò precemur eum, ut id brevi contingat.

XXXIIX.

Confabulatio de profectionis in Italiam causâ.

Locorum fama & rerum novarum cupiditas nos inducunt ad peregrinandum. *Laus Italiæ. Vini Italici præstantia.* Dei laudandi materia ex ejus

ejus beneficiis. Amavit nos Deus usque ad delicias. Humanæ cogitationes nos à divinis rebus avocant.

Humana inconstantia. Roma olim mundi caput dicta est. ALEXANDER. BENIGNUS.

SAlve, ambulator optatissime. B. Et tu salvus sis, cessator occupatissime. A. Satisne rectè vales, mi Benigne? B. Imò rectissimè, quæ est Dei O. M Benignitas. A. Equidem ex animo gaudeo: tibique vehementer gratulor reditum istum incolumem, ubi fuisti hoc toto anno? B. in Italiâ. A. Quam ob causam animum induxeras illuc proficisci? B. Ob famam religionis, de quà tàm multa ubique prædicantur. Nec ignoras, quàm simus rerum novarum cupidi. A. Sic est naturâ comparatum: sed quid illic invenisti? B. Certè multò plura, quam ex fama audieram. A. Sed multa, credo, vidisti, quæ minimè velles. B. Nempe scelera: sed, quod ad regionem attinet, terra est longè fertilissima, omni optimorum fructuum genere valde abundans, præcipuè vino præstantissimo. A. Scilicet, ea potissimum res tibi arridebat. B. Ut verum fatear, mirè afficiebat palatum. Nam quale dicas hoc nostrum vinum esse? villum verè dicas, si cum alio compares. A. Indè ergò tibi se offerebat pulchrum DEI laudandi argumentum. B. Pulcherrimum: sic enim sæpè cogitabam: quàm bonus es Domine DEus, qui nos amavisti usque ad delicias! non enim solùm ea creasti nobis ad victum, quæ terra sponte suâ producit: sed etiam tot genera rerum delicatissima-

rum

rum: quæ si moderate sumamus, & cum gratiarum actione, & corpus svavissimè nutriunt, & ipsum animum mirificè exhilarant: ô quibus verbis, quibus operibus, satis dignè glorificemus nomen tuum Domine! Denique sic afficiebar animo, ut nihil magis cuperem, quàm divinas laudes semper in ore habere, sed (proh dolor!) aliis atque aliis subindè conceptis cogitationibus ignis ille paulatim extinguebatur. A. Istud apud me non est novum, nam sæpe tale quid mihi solet accidere. B. Ea est naturæ nostræ inconstantia. A. Horis ferè omnibus istud experimur, sed quid tandem egisti in tuâ Italiâ? A. Invisi, animi gratiâ, aliquot urbes celebriores, alicubi etiam studui aliquamdiu. A. Quas urbes invisisti potissimùm? B. Multas quidem vidi in transitu, sed paucas contemplatus sum otiosus, nimirum Genuam, Florentiam, Venetias, denique Romam illam, quæ olim mundi caput dicebatur, nunc autem est omnium abominationum fons & origo. A. Vidistine magnam illam bestiam? B. Vidi obiter, quum per vicos, opinor spectaculi gratiâ portaretur. A. Sed, ut ad rem, in quibus tandem oppidis commoratus es studiorum gratiâ? B. Româ rediens transivi Bononiam, Patavium, Mediolanum. In eorum oppidorum singulis menses circiter tres versatus sum, in vario literarum genere. Volui enim è singulis paucula quasi degustare. A. Quid autem vidisti novi, in tot celeberrimis oppidis? B. Rogas? ferè omnia mihi nova videbantur, sed longum foret omnia tibi narrare, præsertim nunc, quum mihi est aliquò properandum. A.

Quò

Quò tandem? B. Ad patruum, qui me ad Cœnam invitavit. A. Nolo igitur te remorari diutiùs, sed quando licebit nobis magis otiosè confabulari? B. Cras à prandio, si volueris. A. Ego verò id percupio. B. Ad horam igitur primam exspecta me in cubiculo. A. Fiet, est hora ad merendam opportuna.

XXXIX.

Reprehenditur profectus in militiam.

Militum vita corruptissima. Bonus pater familias semper aliquid per occasionem docet. *Timor Dei* custodit parvulos ac dirigit. Patres & Præceptores diligendi, & quare. Exemplum adolescentis stulti, & parentum contemptoris.

BAPTISTA. CAROLUS.

UBi nunc est frater tuus natu maximus? C. Ivit in militiam. B. Quid ais, in militiam? C. Sic res est. S. Sic ergo valedixit literis? C. Jam pridem literarum satietas eum ceperat. B. Quid ita? C. Nescio, nisi quia volebat liberiùs vivere. B. Quomodo permisit pater? C. Quid putas permisisse? Patre absente matre invitâ profectus est. B. ô miserum adolescentem! C. Imo verò miserrimum. B. Quid faciet? C. Id, quod cæteri, qui sequuntur illud vitæ genus, nempè spoliabit, rapiet, ludet aleâ, potabit, scortabitur. B. Estnè isthæc militum vita? C. Omninò. B. Undè scis istud? C. Audivi nuper ex Patre, quum cœnaremus. B. Quorsum narrabat talia. C. Docebat nos, nihil esse certiùs, quàm Deum timere, qui custodit parvulos, eosque in viam rectam paulatim inducit. B. Et Præceptor ipse noster de iis rebus sæpè

pè nos admonet. C. Tanto magis debemus esse soliciti, ut parentes caros habeamus & Præceptores, quorum operâ Deus ad nostram institutionem utitur. B. Utinam utrisque præstemus, quod ipse nobis in suâ lege præcipit. C. Ita faxit ille. B. Faxit precor! XL.

Quidam reversus ex Galliâ præter opinionem, & voluntatem patris, domo expellitur. Post aliquod tempus amicorum operâ redit in gratiam.

Exemplum ejus quod per iram peccatur: Item, stultæ Matrum indulgentiæ in liberos.

BENIGNUS. CALVUS.

AUdio, fratrem tuum jam rediisse ex Galliâ. C. Sic est. B. Solusnè rediit? C. Non omnino. B. Quis igitur cum illo? C. Quidam civis hujus oppidi, qui ferè biennium illic habitaverat. B. Cur iverat frater? C. Missus illuc fuerat à Patre, ut Gallicè discèret loqui. B. Quam igitur ob rem non fuit illic diutiùs? C. Jam non poterat ferre matris desiderium. B. ô. tenellum adolescentem? quotum agit annum? C. Septimum decimum, si rectè mater meminit, ex quâ id audivi sæpè. B. Age, quo vultu à patre acceptus est ejus adventus? C. Rogas? pater non sustinebat illum adspicere: quin etiam nec salutatione dignatus, nec alloquio, jussit eum abire è conspectu. B. Quid prætereà. C. Nisi mater cum lacrymis intercessisset, jubebat apparitorem accersi, qui miserum in carcerem conjiceret. B. Atqui non poterat injussu magistratus? C. Nescio, tamen conabatur. B. Quid posteà factum? cubitne domi

domi vestræ? C. Minimè verò. B. Ubi igitur? C. Sororis meæ virum nôstin? B. Tanquam digitos, C. Eò missus est à matre, dum patris ira defervesceret. B. Quid tandem accidit? C. Egit mater cum propinquis & amicis nostris, ut iratum patrem mitigarent. B. Sic igitur frater tuus cum patre in gratiam rediit. C. Id non fuit magni negotii. Jam enim patrem cœperat pœnitere, quòd sic excanduisset, quodque tàm graviter accepisset filium. B. Nempe dies ejus iram lenierat. C. Eâ tamen lege recepit illum, ut promitteret, se in Galliam rediturum statim à vindemia. B. Vide, quàm ineptus sit iste in matres nostras affectus. C. Atqui ipsæ matres sunt in causâ: cur enim adeò tenerè nos adamant? B. Naturam cogere difficile est. C. In hanc sententiam tenesnè versum ex Horatio?

B. Naturam expellas furcâ licet, usque recurret.

C. Sed quid hoc? dum fabulamur, à lusu cessatum est. B. Nihil indè nobis accidet mali, ad disputationes conveniamus jam.

COLLOQUIORUM CORDERI

FINIS.





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815316895/phys_0244
DFG

R V.

anto magis debemus esse
ros habeamus & Præce-
Deus ad nostram institu-
am utrisque præstemus,
lege præcipit. C. Ita faxit

XL.

alliâ præter opinionem, &
xpellitur. Post aliquod tem-
in gratiam.
r iram peccatur: Item, stul-
liberos.

CALVUS.

jam rediisse ex Galliâ. C.
è rediit? C. Non omni-
llo? C. Quidam civis hu-
nium illic habitaverat. B.
issus illuc fuerat à Patre,
i. B. Quam igitur ob rem
C. Jam non poterat ferre
. tenellum adolescentem?
C. Septimum decimum,
, ex quâ id audivi sæpè.
patre acceptus est ejus
ater non sustinebat illum
nec salutatione dignatus,
m abire è conspectu. B.
i mater cum lacrymis in-
paritorem accersi, qui mi-
jiceret. B. Atqui non po-
us? C. Nescio, tamen
posteà factum? cubitne

domi